ΑΙΣΩΠΟΥ
ΜΥΘΟΙ.

II 2

FABULÆ
VARIORUM
AUCTORUM.

FABVLÆ
VARIORVM
AVCTORVM

Nempè

ÆSOPI FABULÆ
Græco-Latinæ CCXCVII.
APHTHONII SOPH. FABULÆ Gr. Lat. XI.
GABRIÆ FAB. Gr. Lat. XLIII.
BABRIÆ FAB. Gr. Lat. XI.
accedunt
Anonymi veteris Fabulæ, Latino carmine redditæ LX.
ex exsoletis editionibus & Codice MS. luci reddita.
Hæc omnia ex Bibliotheca Palatina.
Adjiciuntur insuper
PHÆDRI FABULÆ XC.
AVIENI FABULÆ XLII.
ABSTEMII FABULÆ CXCVIIII.
Opera & Studio
ISAACI NICOLAI NEVELETI
Cum notis ejusdem in eadem.
Cum figuris ligneis.

FRANCOFURTI,
Apud Christ. Gerlach & Sim. Beckenstein,
M. DC. LX.

AMPLISSIMO VIRO

PETRO NEVELETO DOSCHIO PARENTI

S. D. ISAACIUS NICOLAUS Filius.

EOrum qui hoc seculo benè Reipub. litterariæ consultum volunt, & scriptis suis nutantem jam fulcire conantur, duo sunt genera, Vir Amplissime. Alterum eorum qui laudabili prorsus conatu, novos planè ipsi scribunt libros eduntque, aliis vel ignota vel non satis cognita eruentes. Alterum eorum, qui jam editorum à veteribus, sed mancè vel imperfectè, curam, tutelam suscipiunt. Prioris generis pauciores reperire est, ideò, ut opinor, quod gravioris sit laboris, & industriæ nunnunquam. Posterioris verò, innumeri quidem occurrunt scriptores, qui præ se laudabilem illum juvandæ litteraturæ conatū præferunt: quàm

pauci verò verè præferant, satis superq; notum est omnibus, gloriolam enim aucupantur ferè homines ejusmodi, & nomen inter doctos qualecumq;. Virorum enim benè de Musis meritorum carpere labores, non est animus; qui eruditionis doctrinæq; suæ conscientia contenti, & sola publicæ utilitatis ratione noti, doctissimis suis laboribus facem posteritati præferunt, quales nunc è cæteris admiramur, in utroq; genere doctrinæ ambulantes Bibliothecas, *Casaubonum, Gruterumq;. Eorum ego exemplum pro virili secuturus posterius scribendi genus elegi, cujus beneficio, puerilis hujusce meæ ætatis fructus publico gustui præcoces licet & insipidos potiùs quã nullos offerrem adfectum meum in juvanda re litteraria & desiderium testaturus. Non enim adeò* φίλαυτος *sum & arrogans, ut à me juvari posse vel minimum mihi persuadeã. Cogitanti itaq; mihi à quo potissimũ sumerem exordium, opportunè subiit animum Æsopi Mythologia ex Græcis Latinisq; consarcienda, nulli adhuc, quod sciam, tentata res. Quod meũ consilium dum aperio Viro Nobiliss. Iano Grutero, pro sua in litteras meq; privatum amore, auxilio subsidioq; suggessit ex instru-*

ctissi-

ctissima Palat. Bibliotheca codices manuscriptos, exoletasque editiones nõnullas, quarum suo loco mentio fiet: eorũ opera Mythologiam partim adauxi, partim emendatiorem reddidi, quiddã minus (ut ita dicam) minimo. Hujus n. argumenti tant⁹ est apud plerosque contemptus atque fastidium, ut quilibet, qui sese vel levissima eruditionis doctrinæque tinctura imbutum arbitratur, indignũ sese sit æstimaturus hoc argumentũ: nedum ut ego vel velim debeamve laureã ex hoc mustaceo quærere, quod ex rebus etiamnum levioribus à plerisque hoc ævo factitari modò dixi. Sub tuo a. nomine prodire fœtum hunc volui meum, Vir Amplissime, Parens observandissime, ut extaret meæ in te observantiæ publicum testimonium, partim ut tuæ censuræ, quod cõmodè alias præstare non licebat, subijcerem. Mitto itaque tibi, studiorum meorũ primitias, exiles quidem & tenues (quid n. uberioris segetis, ex inculto adhuc vel saltem modò coli cœpto agello expectandũ?) non ideò tamen ut spero minus gratas acceptasque. Vt n. in agrorum, sic ingeniorũ culturis, priorum annor. messis satis ampla creditur, nec spem ementita, si vel paucissimis constet aristis, acceptumque

 est

est domino tenerioris plantæ pomum quamvis exiguum. At verò acceptior longè gleba est, fructusq; gratior esse solet, si propria domini manu cultus ager, satave arbor fuerit. Quod tibi cũ jam contingat, parens colendissime, vix est ut metuam tibi displiciturum hoc quicquid est meũ. Tu enim tanta me cura industriaq; præsentem educasti instituistiq;, & absentem etiamnum jam consiliis & monitis obfirmas, ut nihil paternæ στοργῆ *deesse volueris. Accipe igitur, Vir Amplissime, tenui de agello tenues spicas hasce, observantiæ in te meæ arras futuras. Plures dabimus currentibus annis, si supremus ille sator, plantam hancce tuam sacro suo imbre dignabitur irrigare. Vale & me amare porrò ut facis perge, ex Musæo nostro,*

VIII. ID. MART. Anno. cIↄ. Iↄ. cx.

LECTO-

Lectori benigno S.

FAbularum inventum, benigne Lector, ut prioribus ſeculis maximi habitum fuit, ita nunc puerile planè & vilo exiſtimatur. Quotuſquiſque enim eſt eorum qui ſibi ſapere videntur, qui, ſi fabulam audiet inter diſſerendum narrari, ſtatim cum cachinno non exclamet, in cunis mihi occinebat hæc nutrix. Pueris quippe relinquendas arbitrantur & vetulis mulierculis fabulas, in publicum verò prodire, & in colloquiis ſeriiſq; diſſertationibus immiſceri non patiuntur. Fatum eſt illud omnium rerum, quæ virtutis vel tantum ſpeciem præferunt, ab hujuſcemodi Sophis contemni & traduci. At longè alia fuit doctæ antiquitatis mens. Fabularum enim nomen tanti apud eam fuit, ut ne ſapientiſſimi quidem viri ſtudiũ hoc, ut illi volunt, puerile tractare, & ipſimet apologos concinnare reſpuerint. Æſopum enim Apologorũ parentem, ut taceam, quem

tantũ novimus, Socrates ipſe mortaliũ ſapientiſſimus Æſopi fabulas dignas judicavit, quas verſibus includeret. Sic enim de eo Plutarchus de audiendis Poetis: Σωκράτης ἐκ τίνων ἐνυπνίων ποιητικῆς ἁψάμενος, αὐτὸς μὲν ἅτε δὴ γεγονὼς ἀληθείας ἀγωνιστὴς ἅπαντα βίον, οὐ πιθανὸς ἦν, οὐδ' εὐφυὴς ψευδῶν δημιουργὸς, τοὺς δὲ Αἰσώπου τοῖς ἔπεσι μύθους ἐνόμιζεν ὡς ποίησιν οὐκ οὖσαν ᾗ ψεῦδος μὴ πρόσεστι. Puerilis inſuper inſtitutio apud eos à fabularum, vel lectione vel ſcriptione exordium ſumebat, cujus rei ubique extant veſtigia. Quin imò indignum eum judicabant nomine docti, qui Æſopi fabulas non evolviſſet. Unde eſt Ariſtophanicum convitium, οὐδὲ τὸν Αἴσωπον πεπάτηκας. Neque verò in pulvere ſcholaſtico tantum viſæ apud veteres fuëre Fabulæ: auſę ſunt foras prodire auſpiciis ſum̃orum virorum. Nam ut alios plures taceam qui idem præſtitêre, Menenius Agrippa cognomento Lanatus ſecedentem Romanam plebem revocaturus, re nulla alia quàm fabulæ narratione vulgatiſſimę quod voluit conſecutus eſt. Nec ea eſt tantum veterum laus & elogium. Vixêre hoc ævo vivuntque viri præclari, qui genus illud ſtudii non neglexere. Inter quos

nun-

nunquam ſatis laudatus Germaniç ſuę lumẽ Camerarius inter tot alias occupationes, optimo propoſito Fabularum librum juventuti ſtudioſæ donavit. Præceſſerat cum eodẽ in curſu Abſtemius vir itidem doctus. Subſecuti ſunt alii plures doctrinę ſumæ, quorum nomina recenſere nimis longum foret. At quorſum hęc inquies? ut meum tibi probem conſiliũ inſtitutumq;. quod non ægrè me conſecuturum confido. Quid v. nova hac in Mythologia præſtiterim, ſcire ſi cupis, ſic habe. Quotquot extare ſcivi Gręcos Latinosve veterum Apologos, conquiſivi; & in unũ corp⁹ tuo comodo coarctavi: ut v. gratiorem hanc qualem qualem opellam redderem, Æſopi fabulas, centum & triginta ſex circiter fabulis adauxi, antehac nondũ eâ ratione editis; quas Palatini manuſcripti quinque ſuggeſſere. Verſionem addidi qualem penuria temporis conceſſit. Quis a. earum auctor ſit, indagare nequeo, à diverſis tamen cõſcriptas, ſtyli diverſitas & tractandi ratio indicant. Earũ nonnullas verbotenus edidit lat. Guiliel. Goudanus. A monachis veterib⁹ nonullas ut arbitrer conſcriptas fuiſſe, facit fabula Græca 152. &

271. ubi honorificam monachorum mentionẽ videre eſt. Utut ſit, ex MSS. illis quos habui ne unicus quidem vulgatas jam habuit Æſopi fabulas, quas à Planude, ut Æſopi vita eſt, ſcriptas exiſtimo. De Babria itidem eſt ut moneā; injuriam nempè Babriæ fieri cum ei τετράστιχα. quæ vulgò extant, adſcribuntur, ſuppoſititius eſt fœtus, & quem Babriam pro ſuo agnoſcere puderet: Ignatii cujuſdam Maſtigoris pullus eſt, ut Palatinæ ſchedæ indicant, qui epitomen Babriæ genuini conſarcinavit, vel Ignatii Diaconi, ut habet vetus codex doctiſſimi Viri VOSSII, qui in oratoriarum Inſtit. lib. 2. p. 324. ſic ſcripſit. *Babrias quem vulgò Gabriam appellat, quāquam nec Babrias genuinus auctor videri queat, cum quia hiſce fabulis in metrum ipſum peccatur, tum quia eæ in Vet. Cod. adſcribuntur Ignatio Diacono.* Hactenus ille. Scripſit enim jambico metro ejus generis quod eſt τῶν σκαζόντων, ut Suidas notat. At in τετραστίχοις illis ne unicus quidem σκάζων, præterquam in ultima fabula περὶ χελιδόνος καὶ Ἀηδόνος, quæ ſola reſtat naufragii fabula. Opinionem hancce meam

meam eò magis firmari mihi patior, cum apud virum doctiſſimum NATALEM Comitem in Mythologia, Babriæ genuini fabulam Gallorum, Cybeles ſacerdotum σκαζόντων metro conſcriptam repererim, quam Notis ad Phædrum inſertam volui, tum verò ex Fragmentis duribus Babriæ quæ extant apud Suidam, quorum nonnulla firmandæ ſententiæ meæ cauſa huc congeram.

Suidas in voce Γέρανος

Λίβυσσα γέρανος, ὁ δὲ ταὼς εὐπήληξ
Χλωρὴν ἀεὶ βόσκοιτο χείματος ποίην

In voce Ἀμᾷν

Νῦν ἐστιν ὄντως παῖδες ἐκ τόπων φεύγειν
ὅτ' αὐτὸς ἀμᾷ. ἢν φίλοισι πιστεύες

In voce ἑκάστοτε

Τῶν οὖν τριχῶν ἑκάστοθ' ἡ μὲν ἀκμαία
ἔτεμεν, ἅς εὕρισκε λευκανθιζούσας

In voce Καμειραία

Μιδρὸν δ' ἐπισχὼν αὖτ' ἔσωθεν ἐκκύψας
Ψαύειν ἔμελλεν ἰσχάδος καμειραίας

In voce Κνηκίας

Ὁ δ' ἐκλυθεὶς πόνων τ' ἐκ ἀνίης πάσης
Τὸν κνηκίαν χάσκοντα λακτίσας φεύγει.

In voce κωλώτης

Σοφῆς ἀράχνης ἱστὸν εὗρε κωλώτης
Καὶ λεπτὸν ἐνέδυ φάρος ἐκτερμὼν τοίχου

In voce κωτίλλω

Τοιαῦτα κωτίλλουσα τὴν ἀχαιίνην
Ἔπεισεν ἐλθεῖν δὶς τὸν αὐτὸν εἰς ᾅδην.

Ex quibus videre eſt Scazontes omnes eſſe Babri verſus. Ne verò quid tibi deperiret, Ignatiũ huncce undecim

decim fabulis ampliavi ex eadem Bibliotheca. Anonymus vero qui vocatur nobis Fabulator, quis esset, comperire non potui, nec multum interest. tantum ex Palatino Codice, ex sole as planè editiones & vix alicui visas, emendavi locis plurimis. Ea sunt quæ te volebam Lector benigne. Restat ut mea hacce exili opella fruaris. & si quæ sunt, ut sunt, à me vel non animadversa, vel perperam collocata, annis id condones nostris. Plura & majora brevi, si annuet Deus, à nobis expectare te videbimus. Vale benigne Lector.

Testimonia aliquot VETERUM GRÆCORUM LATINORUMQUE,

De Fabularum tum Natura tum Nobilitate.

Plato lib. 2. de Repub.

Τοὺς δὲ ἐγκριθέντας πείσομεν τὰς τροφοὺς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισὶν, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις, πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσί.

Dionysius Halicarnasseus lib. 1. Rom. Antiq.

Καὶ μηδεὶς ὑπολάβοι με ἀγνοεῖν, ὅτι τῶν ἑλληνικῶν μύθων εἰσί τινες ἀνθρώποις χρήσιμος. οἱ μὲν ἐπιδεικνύμενος τὰ τῆς φύσεως ἔργα δὲ ἀλληγορίας. οἱ δὲ παραμυθίας ἕνεκα συγκείμενος τῶν ἀνθρωπίνων συμφορῶν. οἱ δὲ ταραχὰς ἐξαιρούμενος ψυχῆς, καὶ δείματα καὶ δόξας καθαιροῦντες οὐχ ὑγιεῖς οἵδ' ἄλλης τινὸς ἕνεκα συμπλασθέντες ὠφελείας.

Strabo lib. 1.

Τοὺς μύθους ἀνεδέξαντο οὐχ οἱ ποιηταὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱ πόλεις πολὺ πρότερον, καὶ οἱ νομοθέται τοῦ χρησίμου χάριν, βλέψαντες ἐς τὸ φυσικὸν πάθος τοῦ λογικοῦ ζώου. φιλειδήμων γὰρ ὁ ἄνθρωπος. προοίμιον δὲ τούτου τὸ φιλόμυ-

θον

θον. ἐντεῦθα ἄρχεται τὰ παιδία ἀκροᾶσθαι καὶ κοινωνεῖν λόγων ἐπιπλεῖον. Αἴτιον δὲ ὅτι καινολογία τις ἐστὶν ὁ μῦθος, οὐ τὰ καθεστηκότα φράζων, ἀλλ' ἕτερα παρὰ ταῦτα. ἡδὺ δὲ τὸ καινόν. καὶ ὃ μὴ πρότερον ἔγνωτις. τοῦτο δὲ αὐτό ἐστι καὶ τὸ ποιοῦν φιλειδήμονα. ὅταν δὲ προσῇ καὶ τὸ θαυμαστὸν, καὶ τὸ τερατῶδες, ἐπιτείνει τὴν ἡδονὴν, ἥπερ ἐστι τοῦ μανθάνειν φίλτρον. Καταρχὰς μὲν οὖν ἀνάγκη τοιούτοις δελεασι χρῆσθαι, προιούσης δὲ τῆς ἡλικίας ἐπὶ τὴν τῶν ὄντων μάθησιν ἄγειν, ἤδη τῆς διανοίας ἐρρωμένης, καὶ μηκέτι δεομένης κολάκων.

Plutarchus de Audiendis Poetis.

Οτι δὲ τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ λεγομένων οἱ σφόδρα νέοι τοῖς μὴ δοκοῦσι φιλοσόφως μηδὲ ἀπὸ σπουδῆς ἄγεσθαι, χαίρουσι μᾶλλον, καὶ παρέχουσιν ὑπηκόους ἑαυτοὺς καὶ χειροήθεις, δῆλόν ἐστι ἡμῖν. οὐ γὰρ μόνον τὰ Αἰσώπεια μυθάρια καὶ τὰς ποιητικὰς ὑποθέσεις, καὶ τὸν Ἄβαριν τὸν Ἡρακλείδου, καὶ τὸν Λύκωνα τὸν Ἀρίστωνος διερχόμενοι, ἀλλὰ καὶ τὰ περὶ τῶν ψυχῶν δόγματα μεμιγμένα μυθολογίᾳ, μεθ' ἡδονῆς ἐνθουσιῶσι.

Idem ibidem.

Ὥσπερ ὁ μανδραγόρας τοῖς ἀμπέλοις προσφυόμενος, καὶ διαδιδοὺς τὴν δύναμιν εἰς τὸν οἶνον, μαλακωτέραν ποιεῖ τὴν καταφορὰν τοῖς πίνουσιν, οὕτω τοὺς λόγους ποίησις ἐκ φιλοσοφίας ἀναλαμβάνουσα μιγνυμένους πρὸς τὸ μυθῶδες, ἐλαφρὰν καὶ προσφιλῆ παρέχει τοῖς νέοις τὴν μάθησιν.

Agellius lib. 2. Noct. Attic. c. 29.

Æsopus ille è Phrygia fabulator haud immeritò sapiens existimatus est, quum quæ utilia monitu suasuque erant, non severè, non imperiosè præcepit & censuit, ut philosophis mos est: sed festivos delectabilesque apologos commentus, res salubriter ac prospicienter animadversas in mentes animosque hominum cum audiendi quadam illecebra induit.

PRI-

PRISCIANI SOPHISTÆ

Ex arte Præexercitaminum ſecundum Hermogenem vel Libanium ac Græcos Rhetores.

FAbula eſt oratio ficta veriſimili diſpoſitione imaginem exhibens veritatis. Ideò autem hanc primum tradere pueris ſolent oratores, quia animos eorũ adhuc molles, ad meliores facilè vias inſtituunt vitæ. Uſi ſunt ea vetuſtiſſimi quoq; Auctores, Heſiodus, Archilocus, Plautus, Horatius. Nominantur autem ab inventoribus fabularum aliæ Æſopiæ, aliæ Cypriæ, aliæ Libycæ, aliæ Sybariticæ, omnes autem communiter Æſopiæ, quoniam in conventibus frequenter ſolebat Æſopus fabulis uti: & pertinent ad vitæ utilitatem. Expoſitio autem fabularum vult circuitionibus carere & jucundior eſſe: ſed oratio qua utilitas faculæ retegitur, ἐπιμύθιον vocant, quod nos ad fadulationem poſſumus dicere, à quibuſdam primò, à plerisq; rationabilius poſtremò ponitur.

Erra-

Errata ex fabulis Græcis editis à me.

Fabula 151. ὠφελειῶν ἀπολαύειν *f.*152 ἔνθα. *f* 153. κέρδους *f.*154 μάνδραν. & ἔσαι *f.*158. ῥοιζηδὸν *sæpius peccatum in ea litera quæ emendare non gravaberis. f.*159. *interfere* pendentes uvas maturas *f.*160 *Vulpes* & dele & *f.*161 *dele* καὶ *in epigraphe f.* 165 μεσοπολιὸς 166, *sequebatur. f* 170 *l.* futilem nimis & vilem *f.* 172. ηὔξατο. τὸ μέσον. *f.*176. κερδάλαιον. *f.*178. δειλοὺς. *f* 179 ὡς ἄστυ. *f* 181. irata est *f.* 182. ἔσχιζον. *f.*184 ἀναιρεῖσθαι *f.* 185. ὀρύσσοντες. indicareq; *f.*190. γέλωτα. *f.*193. qui opificiis invidens dixit. *p.*194. imprudentia. *p.*196. εἰς οἴκους *f.*200 θεασαμένη *f.*201 διιπτᾶσθαι ὑποσχόμενος, ἐκόμισεν *f.*207. ὃς πρὸς *f.*210. *inviti* ἄκοντες *f.*212. ὦατις, orbicularia. *f.*214. κεκρυμμένης *f.*218. πτηνὸς. *f.*221. ἀκούσας *f.*224. εἶπεν ἀλλὰ, πλημμελίας. *f.* 227. *qui eorum. f.* 228. ἐδυνήθη. *f* 229. ταχύτητος *f.*230. ὀφλισκάνουσι. *f.*232. ᾧ διάκειται. *f.*233. *dele* adeò. σοῦ οὐ. *f.*234. τεχνασμάτων, *f.* 235 χρηστότητα, præferant. *f.*237. alligamini. *f.*239. θαμβηθεὶς. *f.*241. imprudentia. Canes verò iis superatis προεστῶτας. *f.*242 ἀκαταλλάκτοις. *f.*244. ὅπως *f.*247. lota sum. 249. coaxans, *f.*256. cecidisses ὁποίοις *f.*258. ποταμὸν *f.*261. προσεκύνουν. ἀλλοτρίαις δόξαις *f* 262 ἔθεινον *f.*264. ταύτην δε. *f.*267. συνείληφας *f.*269. κηπόρῳ. *f.*270. deprehendentes *f.*272. διαφυγότες. γεγηθέναι. *f.*273. καταπραΰνει. *f.*275. solebat ei. τοῦ δὲ τὸ, ὀργίλους. *f.*280. adfectus *f.*290. ὄρνιθες, esset *f.*296. ἀγοράσας, καὶ φέρων.

In Apthonio.

*Fab.*8. *vestibulo. f.*23. *dele hac verba.* mortem igitur & locum jam designaverant.

ΕΚ ΤΩΝ ΑΦΘΟΝΙΟΥ σοφιστοῦ προγυμνασμάτων.

Ὁ Μῦθος ποιητῶν μὲν προῆλθε, γεγένηται δὲ καὶ ῥητόρων κοινὸς ἐκ παραινέσεως. ἔστι δὲ μῦθος, λόγος ψευδὴς, εἰκονίζων ἀλήθειαν. καλεῖται δὲ Συβαριτικὸς, καὶ Κίλιξ, καὶ Κύπριος, πρὸς τοὺς εὑρόντας μεταθεὶς τὰ ὀνόματα. νικᾷ δὲ μᾶλλον Αἰσώπειος λέγεσθαι, τῷ τὸν Αἴσωπον ἄριστα πάντων συγγράψαι τοὺς μύθους, τοῦ δὲ μύθου τὸ μὲν ἐστι λογικὸν, τὸ δὲ ἠθικὸν, τὸ δὲ μικτόν. καὶ λογικὸν μὲν, ἐν ᾧ τι ποιῶν ἄνθρωπος πέπλασται. ἠθικὸν δὲ, τὸ τῶν ἀλόγων ἦθος ἀπομιμούμενον. μικτὸν δὲ, τὸ ἐξ ἀμφοτέρων, ἀλόγου καὶ λογικοῦ. τὴν δὲ παραίνεσιν, δι' ἣν ὁ μῦθος τέτακται, προτάττων μὲν ὀνομάσεις προμύθιον, ἐπιμύθιον καὶ τελευταῖον ἐπενέγκων.

EX APHTHONII *sophistæ præexercitamentis.*

FABVLA PROfecta quidem est à Poetis, sed & rhetoribus cõmunis facta est admonendi gratia. Est autem fabula sermo fictus, imagine quadam repræsentans veritatem. Vocatur autem & Sybaritica, & Cilix, & Cypria, accepto ab inuentoribus nomine. Verum quoniam Æsopus egregiè præter cæteros cõscripsit fabulas, euicit vt potiùs Æsopia diceretur. ea verò est triplex, Rationalis, Moralis, Mista. Rationalis, in qua aliquid ab homine geri confingitur. Moralis, quæ eorum imitatur mores, quæ sunt rationis expertia. Mista verò quę rationale irrationaleque cõplectitur. Admonitionẽ autem, cuius causa fabulã constitueris, si pręponas, Antefabulationẽ: si postponas verò, Affabulationem dices.

EX PHILOSTRATI IMAGINIBUS FABULÆ.

FAbulæ se ad Aesopum, sua in eum beneuolentia conferunt, quòd satagat sui: fabula quippe & Homero & Hesiodo, nec non & Archilocho in Lycambem curæ fuit. sed ab Aesopo humana omnia ad fabellas redacta sunt, sermone brutis non temerè imperito. nam & cupiditatem imminuit, & libidinē insectatur & fraudem. Atq; hæc ei leo quispiam agit, & vulpes, & per Iouem equus, nec testudo muta: ex quibus pueri discunt, quæ in vita gerantur. Habitæ igitur in pretio fabulæ, per Aesopum accedunt ad sapientis ianuam vittis eum deuincturæ, coronaque oleagina coronaturę. hic, vt puto, fabulam aliquam texit. risus enim faciei, & oculi in terram defixi id præ se ferunt. pictorem, fabu-

ΕΚ ΤΩΝ ΦΙΛΟΣΤΡΑΤΟΥ ΕΙΚΟΝΩΝ ΜΥΘΟΙ.

ΦΟιτῶσιν οἱ μῦθοι παρὰ τὸν Αἴσωπον ἀγαπῶντες αὐτὸν, ὅτι αὐτῶν, ἐπιμελεῖται. ἐμέλησε μὲν γὰρ καὶ Ομήρῳ μύθου καὶ Ησιόδῳ, ἔτι δὲ καὶ Αρχιλόχῳ πρὸς Λυκάμβην, ἀλλ' Αἰσώπῳ πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐκμεμύθωται, καὶ λόγου τοῖς θηρίοις μεταδέδωκε λόγου ἕνεκα. πλεονεξίαν τε γὰρ ἐπικόπτει, καὶ ὕβριν ἐλαύνει καὶ ἀπάτην. καὶ ταῦτα λέων τις αὐτῷ ὑποκείνεται, καὶ ἀλώπηξ, καὶ ἵππος νὴ Δία, καὶ οὐδὲ ἡ χελώνη ἄφωνος, ὑφ' ὧν τὰ παιδία μαθηταὶ γίνονται τῶν τοῦ βίου πραγμάτων. εὐδοκιμοῦντες οὖν οἱ μῦθοι διὰ τὸν Αἴσωπον φοιτῶσιν ἐπὶ τὰς θύρας τοῦ σοφοῦ, ταινίαις αὐτὸν ἀναδήσοντες, καὶ στεφανώσοντες αὐτὸν θαλλοῦ στεφάνῳ. ὁ δὲ, οἶμαι, τινὰ ὑφαίνει μῦθον. τὸ γὰρ μειδίαμα τοῦ προσώπου καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ κατὰ τῆς γῆς ἑστῶτες τοῦτο δηλοῦσιν. οἶδεν

ὁ ζω-

ὁ ζωγράφος, ὅτι αἱ τῶν μύθων φροντίδες ἀνειμένης τῆς ψυχῆς δέονται. φιλοσοφεῖ δὲ ἡ γραφὴ καὶ τὰ τῶν μύθων σώματα, θηρία συμβάλλουσα ἀνθρώποις, περιΐστησι χορὸν τῷ Αἰσώπῳ, ἀπὸ τῆς ἐκείνου σκηνῆς συμπλάσασα. Κορυφαία δὲ τοῦ χοροῦ ἡ ἀλώπηξ γέγραπται, χρῆται γὰρ αὐτῇ ὁ Αἴσωπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ.

fabularum cūras remissiore animo indigere, non latuit. Philoſophatur autem pictura & fabularum corpora. Bruta enim cum hominibus cōferens, cœtum circa Aeſopum ſtatuit, ex illius ſcena confictum. Chori dux vulpes depicta eſt. vtitur enim Aeſopus miniſtra argumentorum plurium, ceu Dauo comœdia.

AESOPI FABVLATORIS *Vita, à Maximo Planude conscripta.*

RERVM humanarum naturam persequuti sunt & alii, & posteris tradiderunt: Æsopus verò videtur non absq; diuino afflatu, quum moralem disciplinam attigit, magno interuallo multos eorum superasse. Etenim neq; definiendo, neq; ratiocinando, neq; ex historia, quam ante ipsius ætatem tulit tempus, admonendo, sed fabulis penitus erudiendo, sic audientiũ venatur animos, vt pudeat ratione præditos facere, aut sentire, quæ neque aues, neque vulpes, & rursus non vacare illis quibus pleraque bruta pro tempore prudenter vacasse finguntur. ex quibus aliqua pericula ipsis imminentia effugerunt, aliqua maximam vtilitatem in opportunitatibus consequuta sunt. Hic igitur qui vitam suam philosophicæ reip. imaginem proposuerat,

ΑΙΣΩΠΟΥ ΒΙΟΣ τοῦ μυθοποιοῦ, Μαξίμῳ τῷ Πλανούδῃ συγγραφείς.

ΠΡαγμάτων φύσιν τῶν ἐν ἀνθρώποις ἠκρίβωσαν μὲν καὶ ἄλλοι, καὶ τοῖς μεθ' αὐτοὺς παρέδωκαν φέροντες· Αἴσωπος δὲ δοκεῖ μὴ πόρρω θειοτέρας ἐπιπνοίας τῆς ἠθικῆς διδασκαλίας ἁψάμενος, πολλῷ τῷ μέτρῳ τοὺς πολλοὺς αὐτῶν παρελάσαι· καὶ γὰρ οὔτ' ἀποφαινόμενος, οὔτε συλλογιζόμενος, οὔτε μὴν ἐξ ἱστορίας, ἣν ὁ πρὸ τῆς κατ' αὐτὸν ἡλικίας ἤνεγκε χρόνος, τὴν νουθεσίαν διατιθέμενος, ἀλλὰ μύθοις τὰ πάντα παιδοτριβῶν, οὕτω τὰς τῶν ἀκροωμένων ἀγρεύει ψυχὰς, ὡς αἰσχύνεσθαι τοὺς λογικοὺς ποιεῖν ἢ φρονεῖν, ἃ μήτ' ὄρνιθες, μήτ' ἀλώπεκες. καὶ αὖ πάλιν μὴ προσέχειν ἐκείνοις οἷς πολλὰ τῶν ἀλόγων ἐν καιρῷ νουνεχῶς προσεσχηκότα μυθεύεται. ἐξ ὧν ἃ μὲν κινδύνους ἐπηρτημένους αὐτοῖς διέδρα, ἃ δὲ καὶ μεγίστης ἐν τοῖς καιρίοις τῆς ὠφελείας ἔτυχεν. οὗτος τοίνυν ὁ τὸν καθ' αὐτὸν βίον φιλοσόφου πολιτείας εἰκόνα προ-

να προθέμενος, καὶ ἔργοις μᾶλλον ἢ λόγοις φιλοσοφήσας, τὸ μὲν γένος ἐξ Ἀμορίου τῆς Φρυγίας κατῆγε τῆς μεγάλης ἐπίκλησιν. τὴν δὲ τύχην γέγονε δοῦλος, ἐφ' ᾧ καὶ σφόδρα μοι δοκεῖ, τὸ τοῦ Πλάτωνος ἐν Γοργίᾳ καλῶς ἅμα καὶ ἀληθῶς εἰρῆσθαι· ὡς τὰ πολλὰ γὰρ ταῦτά φησιν, ἐναντία ἀλλήλοις ἐστὶν, ἥτε φύσις καὶ ὁ νόμος. Αἰσώπου γὰρ τὴν ψυχὴν ἡ μὲν φύσις ἐλευθέραν ἀπέδωκεν, ὁ δὲ παρ' ἀνθρώπων νόμος τὸ σῶμα πρὸς δουλείαν ἀπέδοτο. ἴσχυσε μέντοι οὐδ' οὕτω τὴν τῆς ψυχῆς ἐλευθερίαν λυμήνασθαι. ἀλλὰ καίτοι πρὸς πολλὰ καὶ πολλαχόσε μεταφέρων τὸ σῶμα, τῆς οἰκείας ἐκείνην ἕδρας οὐχ οἷός τ' ἐγένετο μεταστῆσαι. ἐτύγχανε δ' ὢν οὐ μόνον δοῦλος, ἀλλὰ καὶ δυσειδέστατος τῶν ἐπ' αὐτοῦ πάντων ἀνθρώπων. εἶχε καὶ γὰρ φοξὸς ἦν, σιμὸς τὴν ῥῖνα, σιμὸς, τὸν τράχηλον προχειλος, μέλας· ὅθεν καὶ τοῦ ὀνόματος ἔτυχε, (ταὐτὸν γὰρ Αἴσωπος τῷ Αἰθίοπι) προγάστωρ, βλαισὸς, καὶ κυφός. τάχα καὶ τὸν ὁμηρικὸν Θερσίτην τῇ αἰσχρότητι τοῦ εἴδους ὑπερβαλλόμενος. τὸ δὲ δὴ πάντων ἐν αὐ-

τῷ

erat, & operibus magis quàm verbis philoſophatus, genus quidem traxit ex Amorio oppido Phrygiæ cognomento Magnę: ſed fortuna fuit ſeruus. Quare & magnopere mihi videtur Platonis illud in Gorgia pulchrè ſimul & verè dictum: Plerunq; enim hæc, inquit, contraria inter ſe ſunt, natura ac lex. Nam Æſopi animum natura liberum reddidit, ſed hominum lex corpus in ſeruitium tradidit. Potuit tamen ne ſic quidem animi libertatē corrumpere. Sed quamuis ad res varias, & in diuerſa loca transferret corpus, à propria tamen ſede illum traducere non potuit. Fuit autem non ſolùm ſeruus, ſed & deformiſſimus omnium ſuæ ætatis hominū, nam acuto capite fuit, preſſis naribus, depreſſo collo, prominentibus labris, niger vnde & nomen adeptus eſt (idē enim Æſopus quod Æthiops) ventroſus, valgus, & incuruus: fortè & Homericū Therſiten turpitudine formæ ſuperans. Hoc verò omni-

um in eo pessimum erat, tardiloquentia & vox obscura simul, & inarticulata. Quæ omnia etiam videntur seruitutem Æsopo parasse. Etenim mirum fuisset, si sic indecenti corpore potuisset in seruitutem redigentium retia effugere. Sed corpore sanè tali, animo verò solertissimo natura extitit, & ad omne commentum felicissimus. Possessor igitur ipsius, tanquam ad nullum domesticum opus commodum, ad fodiendum agrum emisit. Ille verò digressus, alacriter operi incumbebat. Profecto verò aliquando & hero ad agros, vt opera specularetur, agricola quidam ficus egregias decerptas dono tulit. Ille verò fructus delectatus pulchritudine Agathopodi ministro (hoc enim erat nomen puero) seruare iussit, vt sibi post balneum apponeret. Quum verò ita euenisset, atq; Æsopo ob quandam necessitatē ingresso in domum, occasione capta Agathopus con-

τῷ χείριστον ἦν, τὸ βραδύγλωσσον, καὶ τὸ τῆς φωνῆς ἄσημόν τε καὶ ἀδιάρθρωτον· ἃ πάντα καὶ δοκεῖ τὴν δουλείαν Αἰσώπῳ παρασκευάσαι. καὶ γὰρ δὴ καὶ θαῦμα ἂν ἦν, εἰ οὕτως ἀτόπως ἔχοντι τοῦ σώματος ἐξεγένετο τὰς τῶν δουλούντων ἄρκυς διαφυγεῖν, ἀλλὰ τὸ μὲν σῶμα τοιοῦτον ἦν τῷ ἀνδρί, τὴν δὲ ψυχὴν ἀγχινούστατος ἐπεφύκει, καὶ πρὸς ἐπίνοιαν πᾶσαν ἐπιβολώτατος. ὁ κεκτημένος τοίνυν αὐτὸν, ἅτε πρὸς οὐδὲν οἰκίας ἔργων οἰκείως ἔχοντα, σκάπτειν εἰς ἀγρὸν ἐξαπέστειλεν. ὁ δ' ἀπελθὼν, προθύμως τοῦ ἔργου εἴχετο. ἀφικομένῳ δέ ποτε καὶ τῷ δεσπότῃ πρὸς τὸν ἀγρὸν, ἐφ' ᾧ τὴν τῶν ἔργων ἐπισκοπὴν θέσθαι, γεωργός τις σῦκα τῶν ἀγαθῶν δρεψάμενος δῶρον ἤνεγκεν. ὁ δ' ἐπὶ τῷ τῆς ὀπώρας ἡσθεὶς ὡραίῳ, Ἀγαθόποδι τῷ οἰκέτῃ (τοῦτο γὰρ ἦν ὄνομα τῷ παιδὶ) φυλάττειν ἐκέλευσεν, ὡς αὐτῷ μετὰ τὸ λουτρὸν παραθεῖναι. συμβὰν δ' οὕτω, καὶ τοῦ Αἰσώπου κατὰ δή τινα χρείαν εἰσελθόντος εἰς τὴν οἰκίαν, ἀφορμῆς ὁ Ἀγαθόπους λαβόμενος, βουλὴν τοι-

τοιαῦδε τῶν συνδούλων τινὶ προτείνει, ἐμφορηθῶμεν, εἰ δοκεῖ, τῶν σύκων ὦ οὗτος· κἂν ὁ δεσπότης ἡμῶν ταῦτα ζητήσῃ, ἀλλ' ἡμεῖς τοῦ Αἰσώπου καταμαρτυρήσομεν ἄμφω, ὡς εἰς τὴν οἰκίαν εἰσδραμόντος, καὶ τὰ σῦκα λάθρα καταφαγόντος· καὶ ἐπ' ἀληθεῖ θεμελίῳ, τῇ πρὸς τὸν οἶκον εἰσόδῳ, πολλὰ τῶν ψευδῶν ἐποικοδομήσομεν. καὶ τὸ μηδὲν ἔσται ὅ γε εἷς πρὸς τοὺς δύο, καὶ ταῦτα μηδ' αὐτοῦ ἐλέγχων διᾶραί ποτε τὴν γλῶτταν δύναμιν ἔχων. δόξαντος δὴ τούτου, πρὸς τοὔργον ἐχώρησαν, καὶ τῶν σύκων ἐσθίοντες, ἔλεγον ἐφ' ἑκάστῳ σὺν γέλωτι. φεῦ σοι δύστηνε Αἴσωπε. ὁ τοίνυν δεσπότης ἐπανελθὼν ἀπὸ τοῦ λουτροῦ καὶ τὰ σῦκα ζητήσας, καὶ ἀκούσας ὡς Αἴσωπος αὐτὰ κατεδήδοκε, τόντε Αἴσωπον σὺν ὀργῇ κελεύει κληθῆναι, καὶ κληθέντι φησὶ, λέγε μοι, ὦ κατάρατε, οὕτω μου κατεφρόνησας, ὡς εἰς τὸ ταμεῖον εἰσελθεῖν καὶ τὰ ἑτοιμασθέντα μοι σῦκα θοινήσασθαι; ὁ δὲ ἀκούων μὲν καὶ συνιεὶς ἦν, λαλεῖν δ' εἶχεν οὐδ' ὁπωσοῦν διὰ τὸ βραδύγλωσσον. μέλλων δὲ ἤδη τύπτε-

consilium huiusmodi conseruo cuidam offert: impleamur, si placet, ficubus heus tu: & si herus noster has requisierit, nos verò contra AEsopum testificabimur ambo, quòd in domum ingressus sit, & ficus clam comederit: & super verò fundamento, videlicet in domum ingressione, multa mendacia inædificabimus: & nihil vnus ad duos fuerit, præsertim quum ne sine probationib. quidem diducere vnquam os queat. Decreto verò hoc, ad opus accesserunt: & ficus deuorantes, dicebant in singulis cum risu: Væ tibi infelix AEsope. Quum igitur herus rediisset à lauacro, & ficus petiisset, & audiuisset quòd AEsopus eas comederit, & Aesopum quum ira iubet vocari, & vocato ait: Dic mihi, ò execrande, ita me cōtempsisti vt in penu ingredereris, & paratas mihi ficus commederes? Ille audiebat quidem & intelligebat, sed loqui poterat nullo modo ob linguę tarditatē. Quum iam ver-

berandus esset, & delatores vehementius instarēt, procumbens ad heri pedes, vt sustineret se parum orabat: quum autem accurrisset & tepidā aquam attulisset, eam & bibit, & digitis in os demissis rursum humorem solum reiecit: nondum enim cibū attigerat. rogabat igitur, vt idem & accusantes facerent, quò manifestū fieret, quisnā ficus dissipasset, Herus autem ingeniū hominis admiratus sic facere & alios iussit: illi autem deliberauerant bibere quidem aquam, non tamen demittere in guttur digitos, sed per obliqua maxillarū eos circumferre. Vix dum autem biberant, quum tepida illa aqua nausea potis inducta, effecit vt sponte fructus redderetur. Tunc igitur ante oculos posito & maleficio ministrorum & calumnia, herus iussit eos nudos flagro vapulare. Illi verò cognouerunt manifestè dictum illud: Qui in alterum dolos struit, sibi inscius malū fabricat. Sequenti verò die hero in vrbem

τύπτεσθαι τῶν κατηγόρων σφοδροτέρως ἐπικειμένων, πεσὼν πρὸς τοὺς τοῦ δεσπότου πόδας, ἀνασχέσθαι μικρὸν ἐδεῖτο. δραμὼν δὲ, καὶ χλιαρὸν ὕδωρ προσενεγκὼν, τοῦτό τε πέπωκε, καὶ τοὺς δακτύλους εἰς τὸ στόμα καθεὶς, αὖθις τὸ ὑγρὸν μόνον ἀνέλαβεν· οὔπω γὰρ τροφῆς ἁψάμενος ἐτύγχανε. ὑπέβαλλε γοῦν αὐτὸ τοῦτο καὶ τοὺς διώκοντας δρᾶσαι, ὡς ἂν δῆλον γένηται τίς ὁ τὰ σῦκα διαφορήσας. ὁ δὲ δεσπότης τὸ νόημα αὐτοῦ θαυμάσας, οὕτω ποιεῖν καὶ τοὺς ἄλλους ἐπέταξεν. οἱ δ' ἐβουλεύσαντο πιεῖν μὲν τοῦ ὕδατος, μὴ μέντοι καθεῖναι κατὰ τοῦ λαιμοῦ τοὺς δακτύλους, ἀλλ' ἐπὶ τὰ πλάγια τῶν γνάθων αὐτοὺς περιφέρειν. οὐκ ἔφθασαν δὲ πιόντες, καὶ τὸ χλιαρὸν ὕδωρ ἐκεῖνο ναυτίαν τοῖς πεπωκόσι παραχρῆμα ἐπενεγκὸν, αὐτομάτην παρέχε τὴν ὀπώραν ἀναδοθῆναι. τότε τοίνυν πρὸ ὀφθαλμῶν πεσόντος τοῦ τε κακουργήματος τῶν οἰκετῶν, καὶ τῆς συκοφαντίας, ὁ μὲν δεσπότης ἐκέλευσεν αὐτοὺς γυμνωθέντας μαστίζεσθαι. οἱ δ' ἐπέγνωσαν σαφῶς κατὰ τὸν εἰπόντα, ὡς ὅστις καθ' ἑτέρου δόλια μηχανεύεται, αὐτῷ λέληθε τὸ κακὸν τεύχων.

τεκτονῶν. τῇ δ᾽ ἐπιούσῃ, τοῦ μὲν δεσπότου εἰς ἄστυ ἀναζεύξαντος, τοῦ δ᾽ Αἰσώπου σκάπτοντος ᾗ προσετάχθη, ἱερεῖς τῆς Ἀρτέμιδος εἴτ᾽ ἄλλοι τινὲς ἄνθρωποι τῆς ὁδοῦ πλανηθέντες, καὶ τῷ Αἰσώπῳ περιτυχόντες, προὐτρέποντο πρὸς Διὸς ξενίου τὸν ἄνδρα, τὴν εἰς ἄστυ φέρουσαν αὐτοῖς ὑποδεῖξαι. ὁ δ᾽ ὑπὸ σκιὰν δένδρου τοὺς ἄνδρας ἀπαγαγὼν πρότερον, καὶ λιτὸν παραθέμενος δεῖπνον, εἶτα καὶ ἡγησάμενος αὐτοῖς, εἰς ἣν ἐζήτουν ὁδὸν εἰσελώεσκεν. οἱ μὲν οὖν τοῦτο μὲν ἐπὶ τῇ ξενίᾳ, τοῦτο δὲ καὶ ἐπὶ τῇ ὁδηγίᾳ διαφερόντως τοῦ ἀνδρὸς ἐξαρτηθέντες, τάς τε χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἦραν, καὶ εὐχῇ τὸν εὐεργέτην ἠμείψαντο. Αἴσωπος δ᾽ ὑποστρέψας, καὶ εἰς ὕπνον καταπεσὼν ὑπό τε

bem reuecto, Æsopo verò fodiente, quemadmodum iussus fuerat, sacerdotes Dianæ, siue alii quidam homines via errantes, & in Æsopum incidentes, exhortabantur per Iouem hospitalem, hominem, vt quæ in vrbem duceret viam ostenderet. Ille quum sub vmbram arboris viros adduxisset priùs, & frugalem apposuisset cœnam. inde & dux factus ipsis, in quam quærebant viam induxit. Illi itaq;, tum ob hospitalitatẽ, tum ob ductũ, mirũ in modũ viro deuincti, & manus in cœlũ eleuarũt, & precibus benefactorẽ remunerati sunt. Æsopus verò reuersus, & in



somnum lapsus præ assiduo labore & æstu, visus est videre Fortunam astantem sibi & solutionem linguæ: & sermonis cursum, & eam quæ fabularum est sapientiam largientem. Statim igitur excitatus ait, Papæ, vt suauiter dormiui, sed & pulchrum somnium videre mihi visus sum: & ecce expeditè loquor, Bos, asinus, rastrum. Per deos intelligo, vnde mihi bonum accesserit hoc: quia enim pius fui in hospites, remunerationem meliorem consequutus sum. Ergo benefacere bona plenum est spe. Sic igitur Aesopus lætatus facto, rursum cœpit fodere. Sed præfecto agri (Zenas erat ipsi nomen) ad operarios profecto, & horum vnum, quoniam parum errauerat in opere, virga verberante, Aesopus statim exclamauit, homo cuius gratia eum qui nullam iniuriam fecit sic verberas, & omnibus temerè plagas ingeris quotidie? omnino renunciabo hæc hero. Zenas autem hæc ab Aesopo audiens obstu-

puis

τοῦ συνεχοῦς πόνου καὶ καύματος, ἔδοξεν ἰδεῖν τὴν τύχην ἐπιστᾶσαν αὐτῷ, καὶ λύσιν τῆς γλώττης, καὶ λόγου δρόμον, καὶ σοφίαν τὴν τῶν μύθων χαριζομένην. εὐθὺς οὖν διυπνισθεὶς, φησὶ, βαβαὶ, πῶς ἡδέως κεκοίμημαι, ἀλλὰ καὶ καλὸν ὄνειρον ἰδεῖν ἔδοξα. καὶ ἰδοὺ ἀκωλύτως λαλῶ, βοῦς, ὄνος, δίκελλα. νὴ τοὺς θεοὺς συνῆκα πόθεν μοι τἀγαθὸν προσεγένετο τοῦτο. εὐσεβήσας γὰρ εἰς τοὺς ξένους, ἀντιλαμβανομένους τοῦ κρείττονος ἔτυχον. ἄρ' οὖν τὸ εὖ ποιεῖν, ἀγαθῶν ἐστι πλῆρες ἐλπίδων. οὕτω μὲν οὖν Αἴσωπος ὑπερησθεὶς τῷ πράγματι, πάλιν ἤρξατο σκάπτειν. τοῦ δ' ἐφεστηκότος τῷ ἀγρῷ (Ζηνᾶς ἦν αὐτῷ τοὔνομα) πρὸς τοὺς ἐργαζομένους ἐλθόντος, καὶ τούτων ἕνα, ἐπειδὴ μικρὸν ἐσφάλη τοῦ ἔργου, τῇ ῥάβδῳ πατάξαντος, Αἴσωπος παραχρῆμα ἀνέκραγεν ἄνθρωπε, τοῦ χάριν τὸν μηδὲν ἠδικηκότα οὕτως αἰκίζῃ, καὶ πᾶσιν εἰκῇ πληγὰς ἐκφορεῖς δι' ἡμέρας; πάντως ἀναγγελῶ ταῦτα τῷ κεκτημένῳ. Ζηνᾶς δὲ ταῦτα τοῦ Αἰσώπου ἀκούσας, ἐξεπλάγη τε οὐ μέτρως, καὶ πρὸς ἑαυ-

ἑαυτὸν εἶπον· Αἴσωπος λαλεῖν ἀρξάμενος, οὐδὲν ἐμὸν ὄφελος ἔσται· φθάσας τοίνυν αὐτὸς κατηγορήσω αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ δεσπότου, πρὶν αὐτὸς τοῦτ᾽ αὐτὸ δράσῃ, καὶ με ὁ δεσπότης τῆς ἐπιτροπῆς παραλύσῃ. ταῦτ᾽ εἰπὼν εὐθὺ τῆς πόλεως πρὸς τὸν δεσπότην ἤλαυνε. καὶ δὴ σὺν θορύβῳ προσελθὼν, χαῖρε, φησὶ, δέσποτα. ὁ δὲ, τί τε θορυβούμενος πάρει; φησί. καὶ ὁ Ζηνᾶς χρῆμά τι τερατῶδες ἐν τῷ ἀγρῷ συνέβη. καὶ ὁ δεσπότης, ἦ πού τι δένδρον παρὰ καιρὸν καρπὸν ἤνεγκεν; ἢ τῶν κτηνῶν τι παρὰ φύσιν ἐγέννησε; καὶ ὃς, οὐχ οὕτως, ἀλλ᾽ Αἴσωπος ἄναυδος τὸ πρότερον ὢν, νυνὶ λαλεῖν ἤρξατο. καὶ ὁ δεσπότης, οὕτω σοι μηδὲν τῶν ἀγαθῶν γένοιτο, τοῦτο νομίζοντι τέρας εἶναι. ὁ δὲ, καὶ μάλα, φησίν· ἃ μὲν γὰρ εἰς ἐμὲ περιύβρισεν, ἑκὼν παρίημι δέσποτα· εἰς δέ σε καὶ θεοὺς οὐ φορητὰ βλασφημεῖ. ἐπὶ τούτοις ὀργῇ ληφθεὶς ὁ δεσπότης, τῷ Ζηνᾷ φησιν, ἰδοὺ σοι παραδέδοται Αἴσωπος. ἀπόδου, δώρησαι, ὃ βούλει ἐπ᾽ αὐτῷ ποίησον. τοῦ δὲ Ζηνᾶ ἐφ᾽ αὐτῷ γενομένου παραλαβόντος τὸν Αἴσωπον, καὶ τὴν κατ᾽ αὐτοῦ

δεσπο-

puit non mediocriter, & ſecum ait: quòd Aeſopus loqui cœperit, nulla mihi vtilitas erit: præueniens igitur ipſe accuſabo eum coram domino, antequā ipſe hoc idem faciat, &me herus procuratione priuet. His dictis vrbē verſus ad dominum vectus eſt. Cæterū turbatus quū acceſſiſſet, Salue, inquit, here. Ille verò; Quid perturbatus ades? inquit. Et Zenas: Res quædā mōſtroſa in agro contigit & herus, Nunquid arbor prꝫter tēpus fructū tulit? aut iumētū aliquod præter naturā genuit? & ille: Non ita, ſed Aeſopus, q antea erat mutus, nūc loqui cœpit. & herus, Sic tibi nihil boni fiat, hoc exiſtimāti mōſtrū eſſe. & ille, Et ſanè, inquit: nam quꝫ in me contumelioſè dixit, ſponte prætereo herꝫ: in te autem, & deos intolerabiliter conuiciatur. His ira percitus herus Zenæ ait, Ecce tibi traditus eſt Aeſopus: vende, dona, quod vis de eo fac. Quum Zenas autem in poteſtate ſua accepiſſet Aeſopum, & quòd in eum

habe

haberet imperium ei renunciasset: ille, Quodcũque volueris, inquit, effice. Fortè verò quum vir quidam iumenta quæreret emere, & propterea per agrum illum iter faceret & Zenam rogaret: ille, iumentum non licet mihi, inquit vendere: sed mancipium masculum, quod si vis emere, adest. Quum verò mercator dixisset ostendi sibi seruulũ, & Zenas Æsopum accersisset, mercator videns ipsum, & cachinnatus: Vnde tibi, inquit ad Zenam, hæc olla? vtrum truncus est arboris, an homo? hic nisi vocem haberet, fermè videretur vter inflatus. Quare mihi iter rupisti huiusce piaculi gratia? His dictis, abiit suam viam, Æsopus verò insequutus ipsum, Mane, inquit. Ille autem conuersus, Abi, inquit, à me sordidissime canis. Et Æsopus, Dic mihi, cuius rei causa huc venisti? Et mercator: Scelestе, vt aliquid boni emerem: tui, quòd inutilis & marcidus sis, non egeo. Et Æsopus, Eme me, & si qua est fides, mal-

δεσποτείαν αὐτῷ ἀναγγείλαντος, ἐκεῖνος. ὅ, τι δήποτε βουλομένῳ σοὶ ἐστί, φησιν, ἐργάσαι. κατὰ δὲ δή τινα τύχην ἀνδρὸς τινὸς κτήνη ζητοῦντος πρίασθαι, καὶ διὰ ταῦτα τὸν ἀγρὸν διιόντος ἐκεῖνον, καὶ τὸν Ζηνᾶν ἐρομένου, ἐκεῖνος, θρέμματα μὲν οὐκ ἔστι μοί, φησιν, ἀποδόσθαι, σωμάτιον δὲ ἄρρεν, ὅπερ εἰ θέλεις ὠνήσασθαι, πάρεστι. τοῦ δὲ ἐμπόρου φήσαντος ὑποδειχθῆναι αὐτῷ τὸ σωμάτιον, καὶ τοῦ Ζηνᾶ τὸν Αἴσωπον μεταπεμψαμένου, ὁ ἔμπορος ἰδὼν αὐτὸν, καὶ ἀνακαγχάσας, πόθεν σοί, φησι πρὸς τὸν Ζηνᾶν, ἥδε ἡ χύτρα; πότερον στέλεχός ἐστι δένδρου, ἢ ἄνθρωπος; οὗτος, εἰ μὴ φωνὴν εἶχεν, οὐδὲν ἂν ἔδοξε μὴ οὐχὶ δοκεῖν ἀσκοκήλη. ἵνα τί μοι τὴν πορείαν διέκοψας τούτου τοῦ καθάρματος ἕνεκεν; ταῦτ᾽ εἰπὼν, ἀπῄει τὴν ἑαυτοῦ ὁδόν. ὁ δ᾽ Αἴσωπος μεταδιώξας αὐτὸν, μεῖνον, φησὶν, ὁ δὲ μεταστραφεὶς ἄπιθι, φησιν, ἀπ᾽ ἐμοῦ ῥυπαρώτατε κύων. καὶ ὁ Αἴσωπος, εἰπέ μοι, τίνος ἕνεκεν δεῦρο ἐλήλυθας; καὶ ὁ ἔμπορος, κάθαρμα, ἵνα τι χρηστὸν πρίωμαι· σοῦ δὲ ἀχρήστου καὶ σαπροῦ ὄντος, οὐ χρήζω. καὶ ὁ Αἴσωπος, ὤνησαί με, καὶ εἴ τις ἐστὶ πίστις, πολλάσε

πολλάκις σε ὠφελῆσαι οἷός τ' εἰμι. καὶ ὅς, τί δ' ἂν σου ὀναίμην, συγκείμενος ὄντος αὐτὸ χρήματα; καὶ ὁ Αἴσωπος, οὐ πάρεισί σοι παιδία οἴκοι ἀτακτοῦντα καὶ κλαίοντα; τούτοις ἐπίστησόν με παιδαγωγὸν, καὶ πάντως αὐτοῖς ἀντὶ μορμοῦς ἔσομαι. γελάσας οὖν ἐπὶ τούτῳ ὁ ἔμπορος, φησὶ τῷ Ζηνᾷ, πόσου τὸ κακὸν τοῦτο πωλεῖς ἀγγεῖον; ὁ δὲ, τριῶν, φησὶν, ὀβολῶν. ὁ δὲ ἔμπορος αὐτίκα τοὺς τρεῖς ὀβολοὺς κατεβάλετο, λέγων, οὐδὲν κατετέθειμαι, καὶ οὐδὲν ἐπριάμην. ὁδοιπορησάντων τοιγαροῦν, καὶ ἀφικομένων αὐτῶν οἴκαδε, παιδάρια δύο ἔτι ὑπὸ μητρὶ τελοῦντα, τὸν Αἴσωπον ἰδόντα, καὶ συγχυθέντα ἀνέκραξε. καὶ ὁ Αἴσωπος εὐθὺς τῷ ἐμπόρῳ φησὶν, ἔχεις μου τῆς ἐπαγγελίας ἀπόδειξιν. ὁ δὲ γελάσας, εἰσελθὼν φησὶν, ἀσπάσαι τοὺς συνδούλους σου. τὸν δὲ εἰσελθόντα καὶ ἀσπαζόμενον ἰδόντες ἐκεῖνοι, τί ποτε, ἄρα κακὸν τῷ ἡμῶν δεσπότῃ, φασὶ, συμβέβηκεν, ὅτι σωμάτιον αἰσχρὸν οὕτως ἐπρίατο; ἀλλ' ὡς ἔοικεν, ἀντὶ βασκανίου τοῦτον τῆς οἰκίας ἐωνήσατο. μετὰ δ' οὐ πολὺ καὶ ὁ ἔμπορος εἰσελθὼν, τὰ πρὸς ὁδὸν

multùm te iuuare potis ſum. Et ille, Qua in re à te iuuari poſſem, quum ſis odium penitus? Et Æſopus, Nonne adſunt tibi pueruli domi turbulenti & flentes; his præfice me pædagogum, & omnino eis pro larua ero. Ridens igitur de hoc mercator, inquit Zenæ, Quanti malum hoc vendis vas? Ille verò, Tribus, inquit obolis. Mercator autẽ ſtatim tres obolos ſoluit, dicens, nihil expoſui, & nihil emi. Quum igitur iter feciſſet, ac perueniſſent in ſuam domũ, pueruli duo, qui adhuc ſub matre erant, Æſopo viſo perturbati exclamauerunt. Et Æſopus ſtatim mercatori inquit, Habes meæ pollicitationis probationem. Ille verò ridẽs, ingreſſus inquit, Saluta conſeruos tuos. Introgreſſum autem ac ſalutantem videntes illi, Quodnam malum noſtro hero, inquiunt, contigit, vt ſeruulum deformem adeò emerit, ſed, vt videtur: pro faſcino domus hunc emit. Non multo verò pòſt & mercator ingreſſus, appa-

rari res ad iter ſeruis iuſſit; quòd poſtridie in Aſiam profecturus eſſet. Illi igitur ſtatim vaſa diſtribuebant: at Aeſopus rogabat leuiſſimum onus ſibi concedi, tanquam nuper empto, & nondum ad hæc miniſteria exercitato. His autem, etſi nihil tollere velit, veniam præbentibus, ille non oportere, dixit, omnibus laborantibus ſe ſolum inutilem eſſe. His quod attollere vellet permittentibus, huc & illuc quum circumſpexiſſet, & vaſa congregaſſet diuerſa ſaccos, & ſtramenta, & caniſtros, vnum caniſtrum panis plenum, quem duo

ὁδὸν εὐτρεπισθῆναι τοῖς δούλοις ἐπέσκηψε, μέλλειν γὰρ τῇ ἐπιούσῃ εἰς Ἀσίαν πορεύεσθαι. οἱ μὲν οὖν αὐτίκα τὰ σκεύη διεμερίζοντο. ὁ δὲ Αἴσωπος ἐδεῖτο τοῦ κουφοτάτου τῶν φορτίων αὐτῷ παραχωρεῖν, ἅτε δὴ νεωνήτῳ, καὶ μήπω πρὸς τὰς τοιαύτας ὑπουργίας γεγυμνασμένῳ. τῶν δὲ, καὶ εἰ μηδὲν ἆραι βούληται, συγγνώμην παρεχομένων, ἐκεῖνος οὐ δεῖν ἔλεγε, πάντων κοπιόντων, αὐτὸν μόνον ἀσυντελῆ τυγχάνειν. τῶν δὲ ὅπερ αὖ ἆραι βούληται ἐπιτρεπόντων, δεῦρο κἀκεῖσε περιβλεψάμενος, καὶ σκεύη ἀθροίσας διάφορα, σάκκους καὶ στρώματα, καὶ γυργάθους, ἕνα γύργαθον ἄρτων πεπληρωμένον, ὃν δύο βαστάζειν ἔ-



baiu- μέλλον

μεῖζον, αὐτῷ ἐπιτεθῆναι κελεύει. οἱ δὲ γελάσαντες, καὶ μηδὲν εἶναι μωρότερον τοῦ χυδαίου τούτου καθάρματος φάμενοι, ὃς μικρῷ μὲν ἔμπροσθεν τὸ κουφότατον ἐδεῖτο ἆραι τῶν φορτίων, νῦν δὲ τὸ πάντων βαρύτατον εἵλετο, χρῆναι μέντοι τὴν ἐπιθυμίαν αὐτοῦ πληρῶσαι, ὑπολαβόντες τὸν γύργαθον, ἐπιτιθέασι τῷ Αἰσώπῳ. ὁ δὲ κατὰ τῶν ὤμων τὸ φορτίον ἀπηχθισμένος δεῦρο κἀκεῖσε διεκλονεῖτο. τοῦτο δὲ ἰδὼν ὁ ἔμπορος, ἀπεθαύμασεν, καὶ φησίν· Αἴσωπος εἰς τὸ πονεῖν πρόθυμος ὤν, ἤδη τὴν ἑαυτοῦ τιμὴν ἐξέτισε, κτήνους γὰρ φόρτον ἤρατο. ἐπεὶ δὲ ὥρας οὔσης ἀρίστου κατέλυσαν, Αἴσωπος κελευσθεὶς ἀρτοδοτῆσαι, ἡμιδεᾶ τὸν γύργαθον πολλῶν φαγόντων ἐποίησεν. ὅθεν καὶ μετὰ τὸ ἄριστον κουφοτέρου τοῦ φορτίου γεγονότος, προθυμότερον ὥδευε. καὶ δὴ καὶ ἑσπέρας οὗ κατήχθησαν πάλιν ἀρτοδοτήσας, τῇ ἐφεξῆς ἡμέρᾳ, κενὸν παντάπασιν ἐπὶ τῶν ὤμων ἀνέχων τὸν γύργαθον πρῶτος ἁπάντων ᾔει, ὡς καὶ τοῖς συνδούλοις προτρέχοντα τοῦτον ὁρῶσιν ἀμφίβολα γίνεσθαι, πότερον ὁ σαπρὸς ἐστιν Αἴσωπος, ἢ ἕτε-

baiulare debebāt, sibi imponi iubet. Illi autem ridentes, & nihil esse stultius vili hoc scelesto. inquientes, qui paulò antè leuissimum rogabat tollere onus, nunc omnium grauissimū elegerit, oportere tamen desiderium eius explere, sublatum canistrum imposuerunt Aesopo. Ille verò humeris onere grauatis huc & illuc dimouebatur. Hunc videns mercator, admiratus est, & inquit. Aesopus quum ad laborandū promptus sit, iā suum pretiū persoluit: iumenti enim onus sustulit. Quum verò hora prandii diuertissent, Aesopus iussus panes dispensare, semiuacuum canistrum multis comedentibus fecit: vnde etiam post prandiū leuiore onere facto, alacriùs incedebat. Verùm vesperi quoque illic quò diuerterant pane distributo, postera die vacuo omnino humeris sublato canistro, primus omnium ibat, vt & conseruis præcurrentem hunc videntib. dubium esset, vtrum putridus esset Aesopus, an quis

quis alius. Et quũ cognouissent illum esse admirabantur, quòd denigratus homuncio solertiùs omnibus fecerit: quoniam qui facilè absumerētur panes sustulit, quum illi stramēta, & reliquam supellectilem baiularent, quæ non est sortita naturam vt sic absumeretur. Mercator itaq; quum esset Ephesi, alia quidem mancipia cum lucro vendidit: remanserunt autem ei tria, Grammaticus, Cantor, & Æsopus. Quum verò quidam ex familiaribus ei suasisset in Samum vt nauigaret, tanquam ibi cum maiori lucro diuendituro seruulos, persuadet. & mercator quũ peruenisset in Samũ, grammaticum quidem & cantorem, vtrumq; noua veste indutũ statuit in foro: sed Æsopum, quoniam necunde poterat ornare, (totus enim erat mendosus) veste ex sacco ei circumposita medium inter vtrumque constituit, vt & videntes stuperent dicentes: Vnde hæc abominatio, quæ & alios obscurat? Æsopus autem quamuis à mul-

ἕτερος. καὶ καταμαθοῦσιν ἐκεῖνον εἶναι, θαυμάζειν, ὅπως τὸ μεμελανωμένον ἀνθρώπιον νουνεχέστερον πάντων ἔπραξε, τοὺς ῥαδίως δαπανωμένους ἄρτους ἀράμενον, ἐκείνων τὰ στρώματα καὶ τὰ λοιπὰ τῶν σκευῶν ἐπιφορτισαμένων, ἃ μὴ φύσιν ἔλαχεν οὑτωσὶ δαπανᾶσθαι. ὁ μὲν οὖν ἔμπορος, ἐπὶ τῇ Ἐφέσῳ γενόμενος, τὰ μὲν ἄλλα τῶν ἀνδραπόδων σὺν κέρδει ἀπέδοτο, ὑπελείφθη δ᾽ αὐτῷ τρία, Γραμματικός, Ψάλτης, καὶ ὁ Αἴσωπος. τῶν δέ τις αὐτῷ συνήθων συμβουλεύσαντος, εἰς Σάμον ἀπᾶραι, ὡς ἐκεῖ δὴ σὺν μείζονι κέρδει ἀπεμπωλήσοντι τὰ σωμάτια, πείθεται. καὶ ὁ ἔμπορος ἐπιβὰς τῆς Σάμου, τὸν μὲν γραμματικὸν σὺν τῷ ψάλτῃ καινὰς στολὰς ἀμφιέσας, ἵστησιν ἄμφω ἐπὶ τοῦ πρατηρίου· τὸν δ᾽ Αἴσωπον, ἐπεὶ μηδαμόθεν εἶχε κοσμῆσαι, (ὅλως γὰρ ἦν ἁμάρτημα) ἐσθῆτα σάκκινον τούτῳ περικαθάψας, μέσον ἀμφοῖν ἔστησεν, ὡς καὶ τοὺς ὁρῶντας ἐξίστασθαι λέγοντας, πόθεν τοῦτο τὸ βδέλυγμα, τὸ καὶ τοὺς ἄλλους ἀφανίζον; Αἴσωπος δέ, καίπερ ὑπὸ πολλῶν σκωπτόμενος, ἵστατο μὲν

μὲν τοι τολμηρῶς πρὸς αὐτοὺς ἀτενίζων, Ξάνθος δὲ ὁ φιλόσοφος εἷς τῶν ἐνοικησάντων τηνικαῦτα τῇ Σάμῳ προελθὼν ἐπὶ τὴν ἀγορὰν, καὶ θεασάμενος τοὺς μὲν δύο παῖδας σὺν εὐπρεπείᾳ παρεσταμένους, μέσον δὲ τούτων τὸν

multis morderetur, stabat tamen audacter ad ipsos intuens. Xanthus verò philosophus habitans tūc Sami, profectus in forum, & videns duos quidem pueros cum ornatu adstā-tes. medium verò horum



Αἴσωπον, ἠγάσατο τὴν τοῦ ἐμπόρου ἐπίνοιαν, ὅπως τὸν αἰσχρὸν ἐν τῷ μεταξὺ, τέταχεν ὡς τῇ παραθέσει τοῦ δυσειδοῦς, καλλίους ἑαυτῶν τοὺς νεανίας φανῆναι. ἐγγυτέρω δ' ἐπιστὰς, ἐπύθετο τοῦ ψάλτου, πόθεν ἂν εἴη. ἔφη ὃς Καππαδόκης. καὶ ὁ Ξάνθος, τί οὖν οἶδας ποιεῖν; ὁ δὲ, πάντα ἔφη ἐπὶ τούτοις Αἴσωπος ἐξεγέλασε. τῶν δὲ σχολαστικῶν οἱ τῷ Ξάνθῳ συν

Aesopum, admiratus est mercatoris commentum, quod turpem in medio collocauerat, vt appositione deformis, pulchriores seipsis adolescentuli appareret. Propius autem adstans, percontatus est cantorem, cuias esset, & is, Cappadox, tum Xanthus, quid igitur scis facere? hic, Omnia. atque ad hæc Aesopus risit. Sed discipuli qui cum Xantho

vnà erant, vt viderunt ipsum risisse & ostendisse dentes, statim & aliquod monstrũ videre arbitrantibus: & vno, certè hernia est, dentes habens, dicente: alio verò, quid nam videns risit? alio, non risisse, sed riguisse? omnibus autem volentibus cognoscere cur risisset, vnus ipsorum accedens Æsopo inquit: Cuius rei gratia risisti? Et is, Abscede marina ouis. Illo vero confuso funditus eo sermone, repenteque secedente Xanthus inquit mercatori, Quanto pretio cantor? illo autem, mille obolorum, respondente, ad alterum iuit, immenso audito pretio: atque & hunc rogitante philosopho, cuias nam foret, & audito Lydum esse: rursusque rogante, quid ergo scis facere? & illo dicente, Omnia, iterum risit Æsopus. Ex scholasticis autem quodam dubitante quid nam hic ad omnes ridet. alius ei dixit, Si vis & tu marinus hircus vocari, roga Xanthus

σιωπῆσαι, ὡς εἶδον αὐτὸν γελάσαντα καὶ παραφήναντα τοὺς ὀδόντας, ἐξαίφνης καὶ τι τέρας ὁρᾷν δοξάντων, καὶ τοῦ μὲν, ἦ που κήλη ἐστὶν ὀδόντας ἔχουσα, λέγοντος, τοῦ δὲ, τί ποτε ἄρα ἰδὼν ἐγέλασε; τοῦ δ᾽ ὡς οὐκ ἐγέλασεν, ἀλλ᾽ ἐρρίγωσε. πάντων δὲ βουλομένων γνῶναι τίς ποτε ἦν ὁ γέλως, εἷς τις αὐτῶν προσελθὼν τῷ Αἰσώπῳ φησὶν, ὅτου χάριν ἐγέλασας; καὶ ὃς ἀποχώρει θαλάττιον πρόβατον. τοῦ δὲ ἀμηχανήσαντος τοῖς ὅλοις ἐπὶ τῷ λόγῳ, κἀκ τοῦ αἴθεως ἀναχωρήσαντος, ὁ Ξάνθος τῷ ἐμπόρῳ φησὶ, πόσου τιμήματος ὁ ψάλτης; τοῦ δὲ, χιλίων ὀβολῶν ἀποκριναμένου, πρὸς τὸν ἕτερον ἦλθεν, ὑπερβάλλον ἀκούσας τὸ τίμημα. καὶ μέντοι καὶ τοῦτον ἐρομένου τοῦ φιλοσόφου, πόθεν αὖ εἴη, καὶ ἀκούσαντος ὅτι Λυδὸς καὶ ἐπανερομένου, τί οὖν οἶδας ποιεῖν; κἀκείνου φαμένου, πάντα, πάλιν ἐγέλασεν Αἴσωπος, τῶν σχολαστικῶν δέ τινος ἀπορουμένου τί δήποτε οὗτος πρὸς πάντας γελᾷ; ἕτερος πρὸς αὐτὸν εἶπεν, εἰ βούλει καὶ σὺ θαλάττιος τράγος ἀκοῦσαι, ἐρώτησον. ὁ δὲ Ξάνθος

καὶ

καὶ αὖθις ἤρετο τὸν ἔμπορον, πόσου τιμήματος ὁ γραμματικός; κἀκείνου, τρισχιλίων ὀβολῶν, ἀποκριναμένου, δυσφόρως ὁ φιλόσοφος ἤνεγκε τὴν ὑπερβολὴν τοῦ τιμήματος, καὶ στραφεὶς ἀπῄει. τῶν δὲ σχολαστικῶν ἐρομένων, εἰ μὴ ἤρεσεν αὐτῷ τὰ σωμάτια, ναί, φησίν, ἀλλὰ δόγμα κεῖται, μὴ ἀνδράποδον ὠνεῖσθαι τῶν πολυτίμων. ἑνὸς δὲ τούτων φαμένου, ἀλλ' εἰ ταῦθ' οὕτως ἔχει, τὸν γοῦν αἰσχρὸν τοῦτον οὐδεὶς νόμος ἐμποδὼν ἵσταται μὴ ὠνήσασθαι· τὴν αὐτὴν γὰρ καὶ οὗτος λειτουργίαν εἰσοίσει, καὶ ἡμεῖς τὸ τίμημα τούτου καταθησόμεθα. ὁ Ξάνθος ἔφη, ἀλλὰ γελοῖον ἂν εἴη, ὑμᾶς ἐκτίσαι τὸ τίμημα, ἐμὲ δὲ τὸν δοῦλον ὠνήσασθαι. ἄλλως τε, καὶ τὸ γύναιόν μου καθάριον ὂν οὐκ ἂν ἀνάσχοιτο ὑπ' αἰσχροῦ σωματίου ὑπηρετεῖσθαι. τῶν δὲ σχολαστικῶν αὖθις εἰπόντων, ἀλλ' ἐγγύς ἡ γνώμη, τό, μὴ πείθεσθαι γυναικί. ὁ φιλόσοφος εἶπε, λάβωμεν πρότερον πεῖραν εἰ οἶδέ τι, μή ποτε καὶ τὸ τίμημα μάτην ἀπόληται. προσελθὼν γοῦν τῷ Αἰσώπῳ, χαῖρε, φησί.

thus autem & rurſus rogauit mercatorem, quanto pretio grammaticus? & illo, tribus millibus obolorum, reſpondente, ægrè philoſophus tulit immenſum pretium, & verſus diſcedebat. Scholaſticis autem petentibus an non placuerint ei ſeruuli: næ, inquit, ſed decretum eſt non emere mancipium pretioſum. Vno autem ipſorum dicente, Sed ſi hæc ita ſe habent, igitur turpem hunc nulla lex impedimento eſt ne ematur: idē enim & hic miniſterium afferet, & nos pretium huius exponemus. Xanthus ait, Sed ridiculum eſſet, vos ſoluiſſe pretium, me autem ſeruum emiſſe, alioqui & vxorcula mea munditiæ ſtudioſa, non ferret à deformi ſeruulo ſeruiri ſibi. At ſcholaſticis rurſus dicentibus, Sed prope eſt ſententia, ne pareatur fœminæ: Philoſophus dixit, Faciamus priùs periculum an ſciat aliquid, ne & pretiū incaſſum pereat. Adiens igitur Æſopum, Gaude, inquit. Et il-

le: numnam triſtabar? Et Xanthus Saluto te. Et ille, Et ego te. Et Xanthus vnà cum aliis inexpectato & prompto reſponſo ſtupefactus, rogauit, cuiâs es? ille, niger. Et Xanthus: Non hoc, inquam, ſed vnde natus ſis? Et is, Ex vẽtre matris meæ. Et Xanthus, Nõ hoc dico, ſed in quo loco natus ſis. Et ille, non renũciauit mihi mater mea vtrum in ſublimi loco, an in humili. Et philoſophus, Quid verò facere noſti? Et ille, nihil. Et Xanthus, quomodo? Et is, Quoniam hi omnia noſſe profeſſi ſunt, mihi autem reliquerunt nihil. Atque hæc ſcholaſtici vehemẽter admirati, Per diuinam prouidentiam, dixerunt, valde bene reſpondit. Nullus enim eſt homo, qui omnia norit: & propterea ſcilicet & ridebat. Rurſus igitur Xanthus inquit, Vis emam te? Et Aeſopus, Me hac in re conſultore eges? vtrum tibi videtur melius, aut emere, aut non, fac. Nullus enim quicquam vi facit: hoc in tua poſitũ eſt voluntate. & ſi volueris,

καὶ ὅς, μὴ γὰρ ἐλυπούμην; καὶ ὁ Ξάνθος, ἀσπάζομαί σε. κἀκεῖνος, κἀγώ σε. καὶ ὁ Ξάνθος ἅμα τοῖς ἄλλοις ἐπὶ τῷ παραλόγῳ καὶ ἑτοίμῳ τῆς ἀποκρίσεως ἐκπλαγεὶς ἤρετο, ποταπὸς εἶ; ὁ δὲ, μέλας, φησί. καὶ ὁ Ξάνθος οὐ τοῦτό φημι, ἀλλὰ πόθεν γεγέννησαι. καὶ ὃς ἐκ τῆς γαστρὸς τῆς μητρός μου. καὶ ὁ Ξάνθος, οὐ τοῦτο λέγω, ἀλλ' ἐν ποίῳ τόπῳ γεγέννησαι, κἀκεῖνος, οὐκ ἀνήγγειλέ μοι ἡ μήτηρ μου, πότερον ἐν ἀνώγεῳ ἢ καταγείῳ. καὶ ὁ φιλόσοφος, τί δὲ πράττειν ἐπίστασαι; κἀκεῖνος, οὐδέν. καὶ ὁ Ξάνθος, τίνα τρόπον; ὁ δὲ, ἐπειδὴ περ οὗτοι πάντας ἐπίστασθαι ἐπηγγείλαντο, ἐμοὶ δὲ κατέλιπον οὐδὲ ἕν. καὶ ἐπὶ τούτοις οἱ σχολαστικοὶ ὑπερφυῶς ἀγάμενοι, νὴ τὴν θείαν πρόνοιαν, ἔφασαν, πάνυ καλῶς ἀπεκρίνατο. οὐδὲ γὰρ εἷς ἐστιν ἄνθρωπος, ὃς ἂν πάντα εἰδείη. διὰ γὰρ ταῦτα δηλαδὴ καὶ ἐγέλα, αὖθις οὖν ὁ Ξάνθος φησὶ, βούλει πρίωμαί σε; καὶ ὁ Αἴσωπος, ἐμοῦ πρὸς τοῦτο συμβούλου δέῃ; ὁπότερον σοι δοκεῖ βέλτιον, ἢ πρίασθαι, ἢ μὴ, ποίει, οὐδεὶς γὰρ οὐδὲν πρὸς βίαν ποιεῖ. τοῦτο παρὰ τῇ σῇ κεῖται γνώμῃ, κἂν μὲν βούλῃ, βαλαν-

τίε

τὴν θύραν ἀνοίξας; ἀργύριον ἀρίθμει. εἰ δὲ μή, μὴ σκῶπτε. πάλιν οὖν οἱ σχολαστικοὶ πρὸς ἀλλήλους ἔφασαν, νὴ τοὺς θεοὺς νενίκηκε τὸν καθηγητήν. τοῦ δὲ Ξάνθου φήσαντος, ἐὰν πρίωμαί σε δραπετεῦσαι βουλήσῃ; γελάσας ὁ Αἴσωπος, ἔφη, τοῦτο εἰ βουλήσομαι πρᾶξαι, οὐ πάντως χρήσομαί σοι συμβούλῳ, ὥς δὴ καὶ σὺ μικρῷ πρόσθεν ἐμοί. καὶ ὁ Ξάνθος, καλῶς μὲν λέγεις, ἀλλ᾽ αἰσχρὸς εἶ. κἀκεῖνος εἰς τὸν νοῦν ἀφορᾶν δεῖ φιλόσοφε, καὶ μὴ εἰς τὴν ὄψιν. τότε τῷ ἐμπόρῳ προσελθὼν ὁ Ξάνθος, φησί, πόσου τοῦτον πωλεῖς; ὁ δὲ ὅς, κερτομῆσαί μου πάρει τὴν ἐμπορείαν ὅτι τοὺς ἀξίους σου παῖδας ἀφεὶς, τὸν αἰσχρὸν τοῦτον εἵλου. θάτερον τῶν λοιπῶν ὤνησαι, τοῦτον δὲ πρόσδομα λάβε. καὶ ὁ Ξάνθος, οὐ δῆτα, ἀλλὰ τοῦτον. καὶ ὁ ἔμπορος, ἑξήκοντα ὀβολῶν ὤνησαι. καὶ οἱ μὲν σχολαστικοὶ παραχρῆμα συνεισενέγκοντες κατέθεντο, ὁ δὲ Ξάνθος ἐκτήσατο. οἱ τίνων τελῶναι τὴν πρᾶσιν μεμαθηκότες, παρῆσαν ἀνακρίνοντες, τίς μὲν ὁ ἀπεμπωλήσας, τίς δὲ ὁ πριάμενος. αἰσχυνομένων δὲ ἀμφοτέρων ἑαυτοὺς ἀνειπεῖν, διὰ

το

ris, crumenæ ianuam aperiens, argentum numera: ſin verò minimè, ne cauillare. Rurſus igitur ſcholaſtici inter ſe dixerunt. Per deos ſuperauit præceptorem. Xanthus verò quum dixiſſet, ſi emero te, fugere voles? ridens Aeſopus ait: Hoc ſi voluero facere, nullo modo vtar te cõſultore, vt & tu paulò antè me. & Xanthus, Bene dicis ſed deformis es: & ille, Mentem inſpicere oportet, ô philoſophe, & nõ faciem. Tũc mercatorem adiens Xanthus, inquit, Quanti hunc vendis? & ille, Vt vituperes, ades, meas merces, quoniam te dignis pueris dimiſſis, deformem hunc eligiſti, alterum horum eme, hunc autem auctarium accipe. Et Xanthus, non certè, ſed hunc, & mercator, Sexaginta obolis eme, & ſcholaſtici confeſtim collatos expoſuerunt, Xanthus autem poſſedit Itaque publicani venditione cognita aderant indagantes, quis vendiderit, quis emerit. At quum puderet vtrunque ſe pronunciare,

 pro-

Ὅτι πολλάκις φύσιν ἀμελοῦσαν πόνος ἐνίκησεν.

constituto itaque die loco; discessere. lepus quidem propter naturalem velocitatem, in cursu negligentior factus, in via prostratus dormiit. Testudo vero suæ sibi conscia tarditatis, continuo incessit. sicq; leporem dormientem præcurrens, ad victoriæ præmium venit.

ADFABVLATIO.

Sæpe negligentem naturam superari à labore.

Χήρα καὶ Πρόβατον.

ΕΝ τόπῳ τινὶ χήρα τις εἶχε πρόβατον. τούτου δὲ τὸν πόκον λαβεῖν θέλουσα, ἔκειρεν ἀτέχνως, τῷ μᾶλλον τὴν σάρκα ψαλίζουσα. τὸ δὲ πρόβατον ἀλγοῦν ἔλεγεν, τί με βλάπτεις; πόση γὰρ ὁλκὴ τὸ ἐμὸν αἷμα προσθήσει; καὶ εἰ μὲν κρεῶν ὦ δέσποινα χρῄζεις, μάγειρος ἔσται, ὅς με συντόμως θύσει. εἰ δὲ ἐρίου καὶ πόκου, κουρεὺς ἔσται, ὡς καὶ πάλιν κερεῖ με καὶ σώσει.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι οἱ ἀπειρίαν πράγματός τινος ἔχοντες, καὶ διὰ πλεονεξίαν μεταχειριζόμενοι, οὐ τοσοῦτον κέρδος, ὅσην βλάβην καρποῦνται.

Χρεω-

Vidua & Ouis. 293

ALicubi vidua mulier ouem habuit. Huius vellus sumere cupiens imperitè tondebat, vna cum vellere carnem forcipe resecans. Dolens ouis dixit. Quid me lædis? quo enim impetu defluit sanguis meus? siquidem ô Hera carniũ indiges, aderit coquus qui me cõtinuo mactabit. Si lanæ & velleris, tonsor adsit qui rursus me tondeat & seruet.

ADFABVLATIO.

Qui alicuius rei imperiti, per auaritiam eam adgrediuntur, non tantum lucri accipiunt, quantum damni.

De-

Debitor. 294

Athenis debitor quispiam cum à creditore exigeretur, primo quidem dilationem sibi fieri postulabat, egenum se professus. Vbi vero non persuasit adductam, quam solam habebat, suem, præsente illo diuendidit. emptor adueniens, cum verum pareret sus percunctaretur, Non solum dixit ille parere, sed & præter opinionem. mysteriis enim femellam, Panathenæis vero masculum eniti. Cui ad hæc obstupenti creditor subiecit ne hæc mireris, tibi enim illa Dionysiis hœdulos est paritura.

ADFABVLATIO.

Fabella demonstrat plerosque non cunctari, priuati commodi caussa, de rebus minime existentibus, de iisque, quæ fieri nequeant falso testari.

Χρεωφειλέτης.

Ἀθήνησιν ἀνὴρ χρεωφειλέτης ἀπαιτούμενος παρὰ τοῦ δανειστοῦ τὸ χρέος, τὸ μὲν πρότερον παρεκάλει ἀναβολὴν αὐτῷ παρασχέσθαι ἀπορεῖν φάσκων. ὡς δ' οὐκ ἔπειθεν, προσαγαγὼν ἣν μόνον εἶχεν ὗν, ἤγουν χοῖρον, παρόντος αὐτοῦ ἐπώλει. ὠνητοῦ δὲ προσελθόντος καὶ διερωτῶντος, εἰ τοκὰς ἡ ὗς, ἐκεῖνος ἔφη, μὴ μόνον αὐτὴν τίκτειν, ἀλλὰ καὶ παραδόξως. τοῖς μὲν γὰρ μυστηρίοις θήλεα ἀποκύειν. τοῖς δὲ παναθηναίοις ἄρσενα. τοῦ δ' ἐκπλαγέντος πρὸς τὸν λόγον, ὁ δανειστὴς εἶπεν, ἀλλὰ μὴ θαύμαζε, αὕτη γάρ σοι καὶ διονυσίοις ἐρίφους τέξεται.

Επιμύθιον.

Ὁ λόγος δηλοῖ τοῦτο· οὐκ ὀκνοῦσιν οἱ πολλοὶ διὰ τὸ ἴδιον κέρδος εἰς τὰ ἀδύνατα καὶ ἀνύπαρκτα ψευδομ ***** τυρεῖν.

Ollæ. 295

Χύτραι.

Testa-

Χύτραι



Χύτραν ὀστρακίνην καὶ χαλκὴν, ποταμὸς κατέφερεν. ἡ δὲ ὀστρακίνη τῇ χαλκῇ ἔλεγεν. μακρόθεν μου κολύμβα καὶ μὴ πλησίον. ἐὰν γάρ μοι συμπροσψαύσεις, κατακλῶμαι, κἄν τε ἐγὼ μὴ θέλουσα προσψαύσω.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι ἐπισφαλής ἐστι βίος πένητι δυνατοῦ ἄρχοντος πλησίον παροικοῦντος.

Testaceam & æneam ollam flumen vehebat, Testacea æneæ, longè ait, à me nata, non prope si enim me attigeris diffringar, etiamsi nolim attingere.

ADFABVLATIO.

Periculosa vita est pauperi prope habitante potentiore principe.

Ψίττακος καὶ Γαλῆ.

Ψιττακόν τις ἀγοράσας ἀφῆκεν ἐπὶ τῆς οἰκίας νέμεσθαι· ὁ δὲ τῇ ἡμερότητι χρησάμενος, ἀναπηδήσας ἐπὶ τῆς νεοττίας ἐκάθισεν, κἀκεῖθεν μέλος τερπνὸν ἀνεκράγει. γαλῆ δὲ θεασαμένη ἐπυνθάνετο

Psittacus & Felis. 296

Psittacum quidam emens in ædibus pastũ dimisit ille vsus mansuetudine insiliens in nido stetit ibique dulce melos cecinit. Feles animaduertens rogauit, quis esset,

esset, & vnde veniret. cui ille, Herus me non dudũ emit. scilicet tu animaliũ impudentissime, recenter cum adueneris, ita clamare audes? mihi verò domi genitæ non permittunt heri clamare. quin, vbi illud attento, succensentes me eiiciunt. tu vero intrepide audes appropinquare. Respondens ille dixit, ædiũ domina longe hinc facesse, non tantum enim mea grauantur heri voce, quantum tua.

ADFABVLATIO.

In hominem improbum causam alius vituperii & inuidiæ conciliantem.

θαύετο αὐτοῦ, τίς τε ἐστὶ καὶ πόθεν ἦλθεν. ὁ δὲ εἶπεν. ὁ δεσπότης με ἄρτι ὠνήσατο. ἰταμώτατε ζώων ἔφη πρόσφατος ὢν τοιαῦτα βοᾶν κατατολμᾷς; ἐμοὶ τῇ οἰκογενῇ οὐκ ἐπιτρέπουσιν οἱ δεσπόται φθέγγεσθαι, ἀλλ᾽ ἐὰν ποτὲ τολμήσω, προσαγανακτοῦντες ἐπελαύνουσί με. καὶ σὺ ἀφόβως τολμᾷς παραπλησιάζεσθαι. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, οἰκοδέσποινα ἀλλά σύ γε βάδιζε μακρὰν ἐντεῦθεν. οὐκ ὁμοίως γὰρ δυσχεραίνουσιν οἱ δεσπόται ἐπὶ τῇ ἐμῇ φωνῇ ὅσον ἐπὶ σῇ.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς ἄνδρα πονηρὸν ψόγου καὶ φθόνων αἰτίαν τοῖς πέλας προσάγοντα.

Pulex & Homo. 297

IMpense molestus erat homini cuidam Pulex. Is igitur eum cum cæpisset, quis tu, exclamauit, es, qui membra mihi omnia depasceris, frustra me consumens. Cui ille clamitãs ait, Serua me ô iste non necans. Malum quippe grandius patrare nequeo. At subridens ille, Mox hisce, ait, meis

Ψύλλα καὶ Ἄνθρωπος.

ΨΥλλα δέ ποτε τινὶ πολλὰ ἐνόχλει. καὶ δὴ συλλαβών τις σὺ ἀνεβόα ὅτι πάντα μου τὰ μέλη κατεβοσκήσω εἰκῇ καὶ μάτην ἐμὲ καταναλίσκων. ἡ δὲ ἐβόα οὕτως ζῶμεν, μὴ κτεῖνε, μέγα γὰρ κακὸν οὐ δύναμαι ποιεῖν. ὁ δὲ γελάσας πρὸς αὐτὴν, οὕτως ἔφη, ἄρτι τεθνήξει χερσί μου ταῖς ἰδίαις, ὅπαν γὰρ κακὸν οὐ μικρὸν

μικρὸν οὐδὲ μέγα. οὐδ' ὅλως πρέπει καθόλου τοῦ φυῆναι.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι κακὸς οὐ πρέπει ἐλεηθῆναι, καὶ μέγας ᾖ, κἂν μικρός.

meis manibus moriere. Malum ſiquidem grandius ſeu leuius, nequaquam eſſe decet.

ADFABVLATIO.

Miſericordia non decet moueri erga improbum, ſiue is potens ſit ſiue non.

F I N I S.

APHTHONII SOPH. FABVLÆ.

ΜΥΘΟΙ ΑΦΘΟΝΙΟΥ ῥήτορος.

Iacobus Kimedoncius, Filius, interpretatus est.

Prima fabula, cicadarum & formicarum, instigans adolescentes ad laborem. I

Μῦθος ὁ τῶν τεττίγων καὶ μυρμήκων, προτρεπόμενος τοὺς νέους εἰς πόνον.



ÆSTATIS Erat feruor, & cicadæ quidem cantibus indulgebant assiduis, formicis au-

Θέρους ἦν ἀκμή. καὶ οἱ μὲν τέττιγες μουσικὴν ἀνέβαλλον τὸ σύντονον, τοῖς μύρμηξι δὲ πονεῖν ἐπήει καὶ συλλέγειν

γεῖν καρπὺς, ἐξ ὧν ἔμελλον τῷ χειμῶνος τραφήσεσθαι. χειμῶνος δὲ ἐπιγεγονότος, οἱ μύρμηκες μὲν οἷς ἐπόνουν ἐτρέφοντο· τοῖς δὲ ἡ τέρψις ἐτελεύτα πρὸς ἔνδειαν.

autem laborare erat curæ, & fructus colligere, vnde hyeme possent ali: quæ cum iam aduenisset, formicæ quidem laboribus suis alebantur, his vera voluptas desit in inopiam.

Οὕτως νεότης πονεῖν οὐκ ἐθέλουσα, παρὰ τὸ γῆρας κακοπραγεῖ.

Sic iuuentus, quando laborare non vult, in senectute in re est difficili.

Μῦθος τῷ χηνὸς καὶ κύκνου, τοὺς νέους εἰς λόγους παρακαλῶν.

Fabula Anseris & Cycni, adhortans eosdem ad facundiam. 2



Ἀνὴρ εὐπορῶν χῆνα τε ἅμα καὶ κύκνον, ἄμφω τρέφειν ἐβούλετο. ἔτρεφε δὲ, οὐκ ἐφ᾽ ὁμοίοις βουλεύμασι. τὸν μὲν γὰρ ᾠδῆς. τὸν δὲ τραπέζης ἐκέκτητο χάριν· ὡς δὲ ἔδει τὸν

VIr diues anserem simul alebat & olorem: alebat autem non eodem fine: siquidem hunc canendi gratia, illum mensæ. vt verò mori oportuit

 anser

anserem, ad quam rem altus erat, cum quidem nox esset, nec tempus alterum ab altero dignosci pateretur, cycnus pro ansere sublatus, cantu significat naturam: & ita mortem effugit suauitate canendi.

Sic musica mortis dilationem parit.

τὸν χῆνα ἀποθανεῖν ἐφ᾽ οἷς ἐτρέφετο, νὺξ μὲν ἦν, καὶ διαγινώσκειν ὁ καιρὸς οὐκ ἀφῆκεν ἑκάτερον. ὁ κύκνος δὲ ἀντὶ τοῦ χηνὸς ἀπαχθεὶς ᾠδῇ σημαίνει τὴν φύσιν, καὶ τὴν τελευτὴν διαφεύγει τῷ μέλει.

Οὕτως ἡ μουσικὴ τελευτῆς ἀναβολὴν ἀπεργάζεται.

Fabula Miluorum & cycnorũ, cauens ne quis imitetur ea quæ se non decent. 3

Μῦθος τῶν ἰκτίνων καὶ κύκνων, παραινῶν μὴ μιμεῖσθαι τὰ μὴ προσήκοντα.

QValem cycnis natura cantum, talem antea quoque miluis dederat. Sed cum equos hinnientes audirent, & hinnitus amore capti, conarentur imitari, etiam ea quæ habebant cum iis amisere, quæ studebant discere. Ita nec hinnire didicerunt, & canere sunt obliti.

Præsentium est priuatio, eorum quæ non decent imitatio.

ΟΣην τοῖς κύκνοις ἡ φύσις ᾠδὴν, τοσαύτην ἰκτίνοις παρέσχετο πρότερον· ἵππων δὲ χρεμετιζόντων ἀκούσαντες εἰς ἔρωτα ἦκον τῆς ἐκείνων φωνῆς· καὶ μιμεῖσθαι πειρώμενοι συναποβάλλουσιν ἃς εἶχον, οἷς μαθεῖν ἐπετήδευον. χρεμετίζειν μὲν γὰρ οὐκ ἔμαθον, ᾄδειν δὲ ἐπελάθοντο.

Φέρει τῶν προσόντων τὴν στέρησιν ἡ τοῦ μὴ προσήκοντος μίμησις.

Fabula aucupis, docens non

Μῦθος τοῦ ἰξευτοῦ παραινῶν

νῶν μὴ λόγοις προσέχειν, ἀλλ' ἔργοις.

non è verbis æstimandū esse, sed operibus. 4



Ἰξευτὴς τέττιγος ἀκούσας, μεγά τι θηράσειν ἐδόκει. μετρεῖ τὴν θήραν ἐκ τῆς ᾠδῆς παρερχόμενος· ὡς δὲ τὴν τέχνην κινήσας εἷλε τὸ θήραμα, ᾠδῆς μὲν πλέον οὐδὲν ἐκομίσατο· κατῃτιᾶτο δὲ τὴν δόξαν ὡς ψευδῆ τοῖς πολλοῖς κρίσιν ἐπάγουσαν.

Ούτως φαῦλοι δοκοῦσι μᾶλλον ἤπερ γεγόνασι.

Avceps audita cicada, magnam aliquam prædam capturum se sperauit: quam, cum fortè præteriret, æstimabat ex cantu. Sed cum arte adhibita cepisset, nihil equidem præter cantum reportauit. opinionem verò incusauit, vt mendax, multis in rebus ferens iudicium.

Sic mali videntur esse potius, quam reuera sint.

Μῦθος ὁ τῆς αἰγὸς, παραινῶν μὴ κρύπτειν τὰ πρόδηλα.

Fabula Capræ, ea quæ manifesta sunt, non esse cęlanda docens. 5

CApram aberrantem à grege longius, congregare rursus volebat caprarius. vt verò vocibus & fistulationibus vsus nihil profecit, misso lapide, & cornu fortè percusso, rogabat ne apud dominum se deferret. At illa, Amentissime, inquit, caprarie, cornu sonabit, etiamsi ego taceam.

Sic stulti nimis sunt, qui manifesta volunt occultata.

Αἶγαν ἀποστᾶσαν ἀγέλης ἐπανάγειν αἰπόλος ἐπειρᾶτο πρὸς τὰς λοιπάς. ὡς δὲ φωναῖς καὶ συριγμοῖς χρώμενος οὐδὲν μᾶλλον ἤνυσε, λίθον ἀφεὶς, καὶ τοῦ κέρως τυχὼν, ἐδεῖτο τῷ δεσπότῃ μὴ κατειπεῖν. ἡ δὲ, ἀνόητε, εἶπεν, αἰπόλων, τὸ κέρας κεκράξεται, κἂν ἐγὼ σιωπήσωμαι.

Οὕτως λίαν εὐήθεις οἱ τὰ πρόδηλα κρύπτειν ἐθέλοντες.

Fabula Æthiopis, ostendens naturam non mutari.

ÆThiopem emit aliquis, persuasus eum ex negligentia eius qui prius habuerat, contractum esse colorem. cum verò domum duxisset, omnia quidem ei adhibuit purgamenta, omnimodisque lotionibus conatus est ad pristinum, vt putabat, nitorem reducere. Sed cum colorem transmutare non posset, morbum labore attulit.

Manet semper natura primogenia.

Μῦθος ὁ τοῦ Αἰθίοπος δηλῶν τὰς φύσεις μὴ μεταβάλλεσθαι.

Αἰθίοπα τις ὠνήσατο, τοιοῦτον εἶναι τὸ χρῶμα δοκῶν ἀμελείᾳ τοῦ πρότερον ἔχοντος· καὶ παραλαβὼν οἴκαδε, πάντα μὲν αὐτῷ προσῆγε τὰ ῥύμματα. πᾶσι δὲ λουτροῖς ἐπειρᾶτο φαιδρύνειν· καὶ τὸ μὲν χρῶμα μεταβάλλειν οὐκ εἶχε. νοσεῖν δὲ τῷ πονεῖν παρεσκεύασεν.

Μένουσιν αἱ φύσεις, ὡς προῆλθον τὸ πρότερον.

Fa- Μῦθος

Μῦθος ὁ τῆς παρθένου καὶ τοῦ λέοντος, ἡδονῶν ἀποτρέπων.

Λέων ἤρα παρθένου. καὶ προσελθὼν τῷ πατρὶ τῆς παιδὸς, ἐγγυῆσαι τὴν κόρην πρὸς γάμον ἐδεῖτο. δεδιὼς δὲ ὁ πατὴρ ἀπανήνασθαι, μετὰ τῶν ὀδόντων ἐκβαλεῖν ἐπειρᾶτο τοὺς ὄνυχας, μὴ ταῦτα, λέγων, φόβον τῇ παιδὶ κατεργάσηται· καὶ πεισθεὶς ὁ λέων ὑπ' ἔρωτος, ἀμυντηρίων προόσεσι γυμνὸς. προσιὼν δὲ ῥοπάλοις τὴν τελευτὴν αὐτὴν ἠλάσετο.

Ἐχθροῖς πειθαρχῶν ὑποστήσῃ τὸν κίνδυνον.

Fabula Leonis & virginis, à voluptatibus dehortans. 7

LEo quidam amabat virginem: conuentoque puellæ patre, petiit vt sibi puellam nuptum daret. Veritus autem pater denegare, rogauit leonem vt cum dentibus etiam vngues deponeret, ne inde, inquit, puella terreatur. Leo præ amore persuasus, exarmatus venit: qui cum venisset, ad necem vsque fustibus verberatus est.

Qui hostibus paret, periclitabitur.

Μῦθος ὁ τοῦ λέοντος, παραινῶν κακίας ἀρετὴν προτιμᾶν.

Γῆρας ἐλύπει τὸν λέοντα· καὶ θηρᾶν οὐκ ἠδύνατο βουλόμενος δὲ πορίσασθαι τροφὰς, νοσεῖν ὑπεκρίνετο· καὶ σχήματι νόσου, πορείαν τῆς τροφῆς ἀπειργάζετο· τὰ γὰρ πλεῖστα τῶν ζώων προσιόντα φιλοφρονούμενος, τροφὴν πρόχειρον εἶχον κατήσθιεν·

Fabula Leonis, hortans vt virtus præponatur malitiæ. 8

ESenectute decumbebat leo, nec amplius ad venandum suppetebāt vires. Itaque cum pasci vellet, ægrotare simulauit, & prætextu morbi, escam sibi comparauit. Nam animaliū plurima, quæ ad inuisendum venerant,



nerant, humanæ excipiens, vt escam in promptu habens, deuorauit. Multis tandem captis, vulpes intellecta fraude cum & ipsa veniret, è vestigio leonem salutauit: quia captorum vestigia pestem arguebant.

Ita sapientia dolos & fraudes longè superat.

σθιεν· ἑαλωκότων δὲ τῶν πολλῶν, ἀλώπηξ συνεῖσα τῆς τέχνης, ἐν προθύροις μὲν φιλοφρονεῖται τὸν λέοντα· τὰ δὲ τῶν ἑαλωκότων ἴχνη τῆς λύμης ἔλεγχον ἔφερον.

Οὕτως σοφία πανουργίας ἐπικρατεῖ.

Fabula asini, non esse benefaciendū malis, admonens. 9

Asinus quærebat medicum, infixa in calce spina. Detrectantibus verò plurimis, solus lupus mederi aggressus est, ac spi-

Μῦθος ὁ τοῦ ὄνου, παραινῶν μὴ κακοῖς εὖ ποιεῖν.

ΟΝΟΣ ἐζήτει τὸν ἰασόμενον, ἐμπαρέντος αὐτοῦ τῷ ποδὶ σκόλοπος. κατοκνούντων δὲ τῶν πολλῶν, μόνος ὁ λύκος ὑπισχνεῖτο τὴν

τὴν ἴασιν· καὶ τοῖς ὀδοῦσιν ἐξαιρεῖται τοῦ πάθους· ὁ δὲ τῷ σωθέντι ποδὶ τὸν ἰασάμενον ἔπληττεν.

Οὕτως οἱ πονηροὶ χάριτι ἀμοιβὰς ἀντεισφέρονται βλάβας.

spina dentib. extracta sanat. hic autem altero pede qui non affectus erat, medentem percussit.

Sic mali pro gratia referunt damnum.

Μῦθος ὁ τοῦ ὄνου, παραινῶν μὴ πλειόνων ἐρᾶν.

Fabula asini docẽs ne quis maiora appetat, quam deceat.



ΟΝος ἐπεθύμει λέων εἶναι δοκεῖν καὶ μεταθεῖναι τὴν φύσιν οὐκ ἔχων, ἐπὶ τοῦ σχήματος ἀνεπλήρου τὸν πόθον, καὶ λεοντὴν περικείμενος, οἷα λέων τοὺς τῶν γεωργῶν ἐλυμαίνετο πόνους. καὶ πνεύσας βιαιότερος ἄνεμος, γυμνοῖ μὲν αὐτὸν τοῦ περικαλύμματος· φανέν-

Asinus cum vellet videri leo, nec naturã permutare posset, schemati quodam desiderio satisfaciens, ac leonina indutus pelle, quasi leo rusticorum vastabat labores. cumque vehementior aliquando spiraret ventus decussissetque tegmen, rustici quorum la-

bores corruperat, cum viderent asinum esse, fustib. cæsum necauerunt.


Mores ascititii, vtentibus adferunt periculum.

φανέντα δὲ ὄνον, ῥοπάλοις ἀνῄρουν ὧν τοὺς πόνους κατήσθιεν.

Νόμος ἐπείσακτος τοῖς χρωμένοις γίνεται κίνδυνος.

Fabula Cancri, monens ne suadeantur impossibilia. 11

Μῦθος ὁ τοῦ καρκίνου παραινῶν μὴ συμβουλεύειν ἀδύνατα.



MAter ad cancrum, Quid vero obliqua est, inquit, fili, qua incedis via: cum debeat esse recta? Respondit ille, Præi mater viam, & eam, vt sequar, annitar. Sed cum recta mater ingredi non posset, dementiā eius elusit filius.

Facilius est monere, quæ facty non sunt possibilia.

Fabu-

Ἡ μήτηρ πρὸς τὸν καρκίνον· τί δὲ λοξὴν, ὦ παῖ, βαδίζεις ὁδὸν, ὀρθὴν εἶναι προσῆκον; ὁ δὲ πρὸς αὐτήν· ἡγοῦ τῆς ὁδοῦ, ὦ μῆτερ, καὶ πρὸς αὐτὴν βαδίζειν πειράσομαι· τῆς δὲ βαδίζειν ἀπορούσης ὀρθῶς, κατήγορος ὁ παῖς τῆς παρανοίας ἐγένετο.

Ῥᾷον παραβαίνειν ἃ πονεῖν ὑπῆρξεν ἀδύνατον.

Μῦθος

Μῦθος ὁ τῶν ἀλεκτρυόνων, μετριάζειν παραινῶν ἐν τοῖς εὐτυχήμασιν.

Fabula Gallinaceorum, adhortans ad moderationem in rebus prosperis. 12



Ἀλεκτρυόνες συμπεσόντες ἀλλήλοις, ὡς νόμος εἶχεν, ἐμάχοντο. καὶ ὁ μὲν νικηθεὶς, κλίνῃ ὑποδὺς ἀπεκρύπτετο. ὁ δὲ νενικηκὼς ἐπὶ στέγους ὀρθεὶς, ἀνέκραγε μέγιστον, τὴν νίκην καταδήλον ἐξ ᾠδῆς ἐργαζόμενος· καὶ καταπτὰς ἀετὸς τοῦτον ἁρπάζει λαβών.

Νίκης ἀσφάλεια μετριότης φρονήματος.

GAllinacei duo inter se, vt fieri solet, insurgentes, pugnarunt. & victus quidem, sub lecto absconditus latuit: qui vero vicerat, in tectum elatus, maxima voce clamans, victoriam canendo quasi palam fecit. Sed eum aduolans forte aquila comprehensum rapuit.

Victoria securitas, moderatrix est superbiae.

Fabula Equi, humanos casus spectare iubens. 13

EQuus senectute depressus, molam pro bello elegit, vbi cum molere belligerandi loco cogeretur, pręsentem lugens fortunam, prioris non immemor, Mei quidem, inquit, molitor, antè in bello erat vsus, ornatusque circum circa, opera mea hominibus locata eos sequebar. At nunc nescio quid passus, pistrinum capesso præ pugna: cui molitor, Obdura, inquit, memorando pristina.

Fortunæ enim vtrinque hominum res mutare nouit.

Μῦθος ὁ τοῦ ἵππου, παραινῶν σκοπεῖν τὰ ἀνθρώπινα.

ἽΠπον ἐλύπει τὸ γῆρας καὶ μύλον ἀντὶ μάχης ἐλάμβανεν· ὡς δὲ ἀλήθειν ἀντὶ τοῦ πολεμεῖν ἠναγκάζετο, τὴν παροῦσαν ἐδάκρυε τύχην· τῆς δὲ προφότης ἐμέμνητο. ἐμοὶ λέγων, ὦ μυλωρὲ, στρατεύεσθαι μὲν ὑπῆρχε πρότερον· κόσμος δὲ παντὶ περιέκειτο σώματι καὶ θεραπεύων παρηκολούθει τοῖς ἀνθρώποις· νῦν δὲ οὐκ οἶδ' ὅ, τι παθὼν ἀντιλαμβάνω τὸν μύλωνα τῆς μάχης. καὶ ὁ μυλωρὸς πρὸς αὐτόν· ἐπίσχες, ἔφη, τὰ παλαιὰ θρυλλῶν.

Ἡ τύχη γὰρ θνητοῖς τὴν ἐφ' ἑκάτερα φέρειν οἶδε μεταβολήν.

Fabula Ciconiæ, non esse cum malis conuersandum docens. 14

AGricolæ damnū tulerunt grues, absumtis quæ seuerat ille seminibus. in earum numero ciconia quoque erat, in eodem quidem consortio,

Μῦθος ὁ τοῦ πελαργοῦ, παραινῶν μὴ συνεῖναι κακοῖς.

ΓΕωργὸν ἠδίκησαν αἱ γέρανοι, τὰ καταβαλλόμενα τῇ γῇ διαρπάζοντες σπέρματα. πελαργὸς δέ τις τοῖς γεράνοις συνῆν, τοῦ μὲν διατελεῖς κοινωνῶν, τοῦ δὲ βλά-



βλάβης οὐ μετασχών· ἀπειπὼν δὲ τὴν βλάβην ὁ γεωργός, βρόχους στησάμενος, μετὰ τῶν γεράνων εἷλε τὸν πελαργόν, καὶ δίκην ὑπεῖχεν ὧν οὐδὲν προηδίκηκεν.

Ὁ συνὼν πονηροῖς τὴν αὐτὴν αὐτοῖς ὑποστήσεται δίκην.

tio, sed quæ damnum non attulerat. Obuiam tamen damno iturus rusticus, positis laqueis, vna cum gruibus ciconiam cepit, ac pœnam ab ea sumsit, eorum ergô quorum non erat conscia.

Qui cum malis conuersatur, eandem, quam, illi pœnam sufferet.

Μῦθος ὁ τῆς καμήλου, τὴν ἐπιθυμίαν κακίζων τοῦ πλείονος.

Εἶδεν εἰς ταῦρον ἡ κάμηλος, καὶ κεράτων ἐπεθύμει μεταλαβεῖν· προσελθοῦσα οὖν τῷ Διΐ, κερῶν ᾔτει τυχεῖν· ὁ δὲ τῆς ἀπληστίας μιστή-

Fabula Cameli qua rerum plurium damnatur cõcupiscentia. 15

TAurum intuitus camelus, cornua concupiuit accipere. quare cum ad Iouem venisset, ab eo petiit cornua ille



ille verò ægrè ferens auaritiam, aures etiam auferre iussit Mercurium: vnde tum minores eas habet camelus, quam pro ratione reliqui corporis.

Qui plura desiderat etiam ea quæ habet, amittit.

μισήσας, Ἑρμῇ κελεύει περιαφελεῖσθαι τῶν ὤτων· ὅθεν καμήλῳ ταῦτα τοῦ λοιποῦ καταδεέστερα σώματος.

Ὁ πλειόνων ἐρῶν, καὶ τῶν προσόντων ἀποστερεῖται.

Fabula Taurorum ad cōcordiam adhortans. 16

TRes tauri viuebant simul: leo verò semper eos insequebatur vt caperet. & concordes quidem nunquam potuit. discordes verò cōstituit subigere: ac ita cum ad mutuam omnes pugnam instigasset, dissidentes, & separa-

Μῦθος ὁ τῶν ταύρων, παραινῶν εἰς ὁμόνοιαν.

ΤΑῦροι τρεῖς τὴν αὐτὴν δίαιταν ἐπεποίηντο. λέων δέ τις αὐτοῖς παρηκολούθει θηρᾶσαι βουλόμενος. καὶ συνιόντας μὲν, ἑλεῖν οὐκ ἠδύνατο, διαστάντας δὲ προῄρειτο χειρώσασθαι. καὶ συγκρούσας, ἀλλήλους ἐν μέρει διαστήσας, ἀπέκρινε, καὶ

καθ'



καθ' ἕκαστον εὐχειρότερον ἔφθειρεν, οὓς κοινῇ συνιόντας ἠπόρει χειρώσασθαι.

Οὕτως ὁμόνοια τοῖς χρωμένοις σωτήριον.

paratim singulos facilimè occidit quos cum cōcordes essent, in suam potestatem redigere non poterat.

Sic concordia, qui eam exercent salutaris est.

Μῦθος ὁ τῆς ἐλάφου, νουθετεῖν παραινῶν τὸν καὶ πρᾶξαι δυνάμενον.

Ἔλαφον ἡ μήτηρ ἐνουθέτει ταῦτα λέγουσα· κέρας, ὦ παῖ, παρὰ τῆς φύσεως εἴληφας· μεγέθει δὲ διενήνοχας σώματος, καὶ οὐκ οἶδ' ὅ, τι παθὼν ἀποδιδράσκεις ἐπιόντας τοὺς κύνας. ταῦτα ἰδοῦ, καὶ κυνῶν δρόμος ἠκούετο

Fabula ceruæ, admonere aliquem id volēs, quod & ipse pręstare possit 17

Ceruam istis verbis admonuit mater, Cornu, fili, à natura habes, corpus verò magnum: & nescio quomodo adhuc euitas adorientes canes. Hæc ait, cum canum procul auditur strepitus, & ipsa, quæ

psa, quæ filium stare iusserat, se prima coniicit in fugam.

Monere in promptu est, quæ difficillima sunt factis.

ἠκούετο πόῤῥωθεν. ἡ δὲ μήτηρ τῷ παιδὶ παραινέσασα, αὐτὴ τῆς φυγῆς προκατήρξατο.

Παραινεῖν ἕτοιμον, ἃ ποιεῖν ἀπορώτερον.

Fabula Cerui, admonens vt differatur iudicium de aliqua re, priusquam eius factum sit periculum. 18

Μῦθος τῆς ἐλάφου, παραινῶν τὴν πεῖραν ἀναμένειν εἰς κρίσιν.

PRopter æstum ad aquam ibat ceruus, vbi cum venisset, dum adstaret aquæ, in ea se vidit. & cornuum quidem nexum miratus, accusauit pedum infirmitatem. dumque vtrinq; naturā laudaret partim, partim vituperaret venatores superuenere. at ille accusatis quidem aufugit cruribus, laudatis vero capitur cornibus.

Ἔλαφον τὸ θέρος ἐπὶ νάματος ἐκόμιζε χρεία. ἀφικόμενος δὲ, καὶ παραστὰς, ἑαυτὸν ἐθεᾶτο τοῖς νάμασι. καὶ τὸ μὲν κέρας τῆς πλοκῆς ἀπεθαύμαζε, κατῃτιᾶτο δὲ τῶν ποδῶν τὴν ἀσθένειαν· καὶ τὴν φύσιν κατ' ἄμφω τιμῶντος ὁμοῦ καὶ κακίζοντος, οἱ θηρῶντες προσήεσαν. ὁ δὲ τοῖς μὲν κατηγορουμένοις διαφεύγει ποσὶ, τοῖς δὲ ἐπαινουμένοις ἁλίσκεται κέρασιν.

Fabula graculi, ne quis maiora viribus moliatur. 19

Μῦθος ὁ τοῦ κολοιοῦ, παραινῶν μὴ μειζόνων ἐρᾶν.

AQuila cum agnum rapuisset, inde pasta est. quod conspicatus graculus aliquis, idem tentauit.

Ἀετὸς ἄρνιον ἁρπάσας, ἐντεῦθεν ἐτρέφετο. κολοιὸς δέ τις ἑωρακὼς, ἐνεχείρει τοῖς ἴσοις. καὶ καταπτὰς



...πτὰς ἐπὶ ποίμνην, τῶν κριῶν λαβεῖν ἐπειρᾶτο τὸν μέγιστον· καὶ περιπαρεὶς τοῖς ἐρίοις τοὺς ὄνυχας ἑάλω μᾶλλον, ἢ θηράσαι δεδύνηται:

Τὸ μεῖζον ἀεὶ τοῖς καταδεεστέροις καθέστηκε σφαλερόν.

tauit. & cum aduolasset ad gregem maximum omnium arietem molitus est rapere, sed complicatis in lana vnguibus, captus potius est, quam capere potuerit.

Maiora semper tenuioris fortunæ hominibus periculosa sunt.

Μῦθος τῆς ἀλώπεκος, παραινῶν μὴ βλέπειν τὰ μείζονα.

Ἀλώπηξ λέοντι συνῴκει ἐν ὑπηρέτου προσχήματι· καὶ ἡ μὲν ἄγρας ἐμήνυεν· ὁ δὲ ἐμπίπτων, ἐλάμβανε. ἑκατέρῳ τοίνυν πρὸς τὴν ἀξίαν διῃρεῖτο μερίς.

Fabula Vulpeculæ, docens non esse adspirandum ad maiora. 20

VVlpecula apparitoris instar operam suam locabat leoni: ita vt hæc prædam indicaret, ille aggressus caperet. Quare & vtriq; pro dignitate quæ

erat, pars obtingebat. Sed vulpes cum quasi leoni partem inuideret maximam, venari potius ipsa voluit, quam indicare. & aliquid è grege ouium conata rapere, primum ipsa facta præda est venantibus.

Seruire tuto melius est, quã cum periculo dominari.

εἰς. ζηλοτυπήσασα δὲ ἡ ἀλώπηξ τῶν πλεόνων τὸν λέοντα, θηρᾶν, αὐτὴ τοῦ μηνύειν ᾑρεῖτο. καὶ πειρωμένη ποίμνης τι λαβεῖν, κατέστη πρώτη τοῖς θηρῶσιν εἰς θήραμα.

Ἄρχεσθαι μᾶλλον ἀσφαλῶς ἄμεινον, ἢ κρατεῖν σφαλερῶς.

Fabula Ouium, quæ monet ne deceptorib. adhibeatur fides. 21

Lvpi ad oues, Quid vero tam durum & implacabile semper cum nobis bellũ geritur? in causa equidem sunt pessime feriati isti canes, qui nos cum superuenimus allatrant, & cum nihil intulerimus mali inuadunt: sed si illos remoueatis, fœdus inde nobis & induciæ sancientur, dixerunt vt fallerent. at illæ, obedientes statim, & canes pepulere: & ipsæ, cum custodia orbatæ forent, sunt occisæ.

Qui auscultat hostibus, subibit periculum.

Μῦθος ὁ τῶν προβάτων, παραινῶν ἀπατῶσι μὴ πείθεσθαι.

ΟΙ λύκοι πρὸς τὰ πρόβατα. τί δὲ ἡμῖν ἄσπονδος ἀεὶ καὶ ἀκήρυκτος πόλεμος, αἴτιοι δὲ οἱ κάκιστα ἀπολέμενοι κύνες. οἱ προσιόντας δὲ ἡμᾶς ὑλακτοῦσιν· οὐδὲν δὲ ἠδικηκότας, συγκρούουσιν· ἀλλ' εἰ τούτους ἐκ ποδῶν καταστήσετε, σπονδαὶ ἐνθένδε καὶ διαλλαγαὶ καταστήσονται, εἶπον εἰς ἀπάτην· τὰ δὲ, ῥᾳδίως ὑπήγετο· καὶ οἱ μὲν κύνες ἐλήλαντο· αὐτὰ δὲ ἔρημα φυλακῆς διεφθείρετο.

Ἐχθροῖς πειθαρχῶν, ὑποστήσῃ τὸν κίνδυνον.

Fabu- Μῦθος

Μῦθος ὁ τῆς ἐλαίας καὶ τῆς συκῆς, σωφρονεῖν παραινῶν τῇ νεότητι.

Ἐλαία κατεγέλα συκῆς, ὡς αὐτὴ μὲν ἀνθοῦσα πρὸς ἅπασαν ὥραν. συκῆς δὲ τὸ ἄνθος συμμεταβαλλούσῃ ταῖς ὥραις, αἷς καὶ καταρρυεῖσα χιών· τὴν μὲν ἐλαίαν κομῶσαν εὑροῦσα, τοῖς θαλλοῖς ἐνιζάνουσα, σὺν τῷ κάλλει καθάπαξ ταύτην διέφθειρεν, τὴν δὲ φύλλων εὑροῦσα γυμνήν, οὐδὲν ἠδίκει πρὸς γῆν ὑπορρέουσα.

Κάλλος μὴ σωφρονοῦν, τοῖς κεκτημένοις καθέστηκεν ὄνειδος.

Fabula Oleæ & Ficus, exhortans iuuentutem ad temperantiam. 22

Ficum irridebat olea, quasi ipsa quidem omni tempore florida, ficus verò cum tempore mutaret florem. quo cum aliquando nix caderet, comantem deprehendens oleam, ramisque insidens, vna cum pulchritudine & ipsam simul corrupit, at huic cum nudam destitutamque foliis inueniret, in terram defluens non obfuit.

Pulchritudo nescia sibi temperare, habentibus est vituperio.

Μῦθος τῶν λαγωῶν, τοὺς ἀτυχοῦντας ψυχαγωγῶν.

Θάνατον ἑαυτῶν κατεψηφίζοντο λαγωοί, καὶ τελευτᾶν μὲν ἐδόκει· τὸ δὲ ὅποι, ζητεῖν ὑπελείπετο. λίμνην δὲ τῷ θανάτῳ προσήκοντα χῶρον ὁρίσαντες, ἔθεον ἅπαντες ὡς

Fabula Leporum, animum addens infelicibus, 23

De morte sua suffragia tulerant lepores, mori quidem placuit, sed vbinam, reliquum erat inquirere. mortem igitur & locum iam desi-



designauerant. Quare ad mortem idoneo loco palude constituta, cucurrerunt omnes quasi ibidem morituri. Aduenientũ vero strepitum cum ferre nõ possent, quæ in ripa sedebant ranæ, abditos in palude sinus petiere: quod cum senior aliquis videret lepus. Nulla, inquit, sunto mortis nostræ suffragia: timidiores enim, quam nos simus, inuenimus.

Consolantur infortunatos aliorum res infeliciores.

ὡς παρὰ ταύτην ἀποθανούμενοι. προσιόντων δὲ τὸν κτύπον οὐκ ἤνεγκαν οἱ παρὰ τὰς ὄχθας διατρίβοντες βάτραχοι· τοὺς δὲ τῆς λίμνης μυχοὺς κατελάμβανον. καὶ δὴ πρεσβύτης ἑωρακὼς λαγωός, Λελύσθω, ἔφη, τοῦ θανάτου ἡ ψῆφος· πεφήνασι γὰρ ἡμῶν ἀνανδρότεροι.

Ψυχαγωγοῦσι τοὺς ἀτυχήσαντας οἱ μᾶλλον κακοπραγήσαντες.

Fabula Ranæ, volens, vt promissa ante lucrum diiudicentur. 24

Μῦθος ὁ τῶν βατράχων, παραινῶν κρίνειν πρὸ τοῦ κέρδους τὴν ὑπισχνούμενον.

Ra-

Ὁ βά-

ΟΒάτραχος ὁ τῶν ἰατρῶν κατηλαζονεύετο τέχνης. πάντα μὲν εἰδέναι φάρμακα γῆς ὑπισχνούμενος· πᾶσι δὲ μόνος εἰς ὑγείαν ἀρκέσειν. καὶ παρεστῶσα, τοῖς λόγοις ἀλώπηξ, τὸ ψεῦδος ἀπὸ τοῦ χρώματος ἤλεγχεν· τί δῆτα λέγουσα νόσου μὲν τοὺς ἄλλους ἐλευθεροῖς· νόσου δὲ φέρεις ἐπὶ τῆς ὄψεως σύμβολον;

Αλαζονεία, τὸν ἔλεγχον οἴκοθεν εὕρατο.

RAna quædam superbe valde medicam iactabat artē, omnia se quidem quæ in terra sunt remedia nosse professa, se solam, omnibus, vt reualescant, opitulaturā. quæ cum diceret adstans forte vulpes, falsitatem è colore vultus arguit. Quid igitur alios, inquiens, à morbo quidem liberas, tu vero ipsa in facie præfers morbi indicia.

Fabula ranæ monens ante lucrum considerari eum debere, qui promittit.

Μῦθος ὁ τοῦ λύκου, παραινῶν μὴ φαύλους εὐεργετεῖν.

ΛΥκῳ περιπείρεται ὀστέον· καὶ ἐζήτει τὸν ἰασόμενον. ἑκάστου δὲ τὴν πρὸς αὐτὸν ἴασιν φεύγοντος, μόνη τῶν ἄλλων ἐπὶ ῥητοῖς ὑπέσχετο ποιήσειν ἡ γέρανος. καὶ θεῖσα τὴν κεφαλὴν, ἐξαιρεῖται τοῦ πάθους τὸν λύκον. καὶ προσαιτουμένη μισθὸν τῆς ἰάσεως, ἀρκοῦντα μισθὸν ὁ λύκος ἔλεγεν τὴν κεφαλὴν ἔχειν ἀκέραιον.

Fabula lupi, monens ne improbis benefiat. 25


LVpo infixum hęrebat os, quærebatq; medicum. Vniuersis vero & singulis ab eius medicatione fugientibus, sola ex reliquis constituto pactoque præmio se subuenturam promisit grus: ac imposito capite, lupum à dolore liberauit. pro quo cum peteret mercedem medicinæ, sufficientem lupus habere dixit, quod caput incolume reportasset.

Improbi seruati, iniuriosi sunt in eos qui seruarunt.

Πονηροὶ σωθέντες, ἀδικοῦσι τοὺς σώσαντας.

Fabula Murium, admonens diligendam esse mediocritatem. 26

Μῦθος ὁ τῶν μυῶν, παραινῶν στέργειν τὰ μέτρια.



MVs rusticus, amicitiam iniit cum vrbico mure, & vt amicitiam confirmaret, primus in agrum ad se vocauit vrbicum, xeniaque apposita ei mensa ingessit, quæcũque agrum suis incolis ferre nouerat. Idem vero hospitalitatis beneficium relaturus mus vrbicus, in vrbem deduxit rusticum, & hominis diuitis excepit domo: vbi cum iam gusta-

Μῦς ἀρουραῖος, ἀστικῷ γίνεται φίλος μυΐ, καὶ τὴν φιλίαν πιστούμενος, πρῶτος εἰς ἀγρὸν τὸν ἀστικὸν παρελάμβανεν. καὶ ξενίαν αὐτῷ παρετίθει καὶ τράπεζαν ἃ φέρειν οἶδε τοῖς ἐνοικοῦσιν ἀγρόν· ἀμειβόμενος δὲ τὴν ξενίαν ὁ ἀστικὸς, εἰς ἄστυ τὸν ἀρουραῖον ἐκόμιζεν, καὶ εἰς ἀνδρὸς εὐπόρου παρελάμβανεν οἶκον. ὡς δὲ τῶν ὄντων ἤδη προσάπτεσθαι ἤθελον προσιών τις

ἀνέῳξε.

ἀνέκοπτε. καὶ τοσαυτάκις τοῦ ἐν τοῖς ὄψοις ἀπηλαύνοντο πείρας, ὁσάκις ἐπειρῶντο μεταλαμβάνειν. καὶ τελευταῖον ὁ ἀγροῖκος, ἄπειμι, ἔφη, τὴν ἐν ἀγροῖς προτιμῶν μετριότητα, τῆς ἐν ἄστει τρυφῆς.

Οὕτως οἱ μέτρια κτώμενοι, τῶν πλουτούντων εἰσὶν αἱρετώτεροι.

gustaturi erant ea quæ præsto aderant, quidam qui de improuiso superueniebat impediit, ac toties à capiendo cibo sunt depulsi, quoties aliquid attentarent sumere. donec tandem rusticus, Abeo, inquit, mediocritatem in agro præferens, iis quæ in vrbe sunt delitiis.

Sic mediocris fortunæ homines, diuitibus præferendi sunt.

Μῦθος ὁ τῶν μελισσῶν καὶ τοῦ ποιμένος, παραινῶν πονηροῖς μὴ τίθεσθαι κέρδεσιν.

ΕΝ κοίλῃ δρυῒ, μέλι κατειργάζοντο μέλισσαι· ποιμὴν δέ τις αὐταῖς ἐργαζομέναις περιτυχὼν, ἀφελέσθαι προῃρεῖτο τοῦ μέλιτος· αἱ δ' ἄλλ' ὁ μὲν ἄλλως περιϊπτάμεναι, αὐτὸ ὤθουν τοῖς κέντροις· καὶ τελευταῖον ὁ ποιμὴν, Ἄπειμι, ἔφη, μηδὲν δεόμενος μέλιτος· εἰ δεῖ μελίσσαις περιτυχεῖν.

Τὰ κακὰ κέρδη, τοῖς διώκουσι κίνδυνος.

Fabula Apum, & pastoris, abhortans ab inhonesto lucro. 27

IN caua quercu mel faciebant apes. pastor vero quidam in eas tum cum facerent forte incidens, furari voluit mel. Eæ vero hinc & illinc circumuolantes, illum aculeis pupugere. tandem pastor. Abeo, inquit, mellis non opus habens, si oporteat in apes incidere.

Turpe lucrum periculosum est illis qui id sequuntur.

Fabula Aquilæ & Draconis, ad gratiam referendam inuitans. 28

DRaco & Aquila conuoluti inter se, pugnarunt, & quidem Draco, cum ligatam detineret aquilã, videns id rusticus, soluta draconis spira, liberam dimisit aquilã. quare iratus draco, venenum immisit in seruantis potum. hausturo vero, quod ignoraret, rustico aduolans aquila, ex manibus rustici calicem decussit.

Eos qui bene alicui faciunt, manent gratiæ.

Μῦθος ὁ τοῦ ἀετοῦ καὶ τοῦ δράκοντος, παραινῶν ἀρχεδς χάριτος.

ΔΡάκων καὶ ἀετὸς συμπλακέντες ἀλλήλοις ἐμάχοντο καὶ ὁ μὲν δράκων, εἶχε τὸν ἀετὸν συλλαβών· γεωργὸς δὲ ἰδὼν, λύσας τὴν πλοκὴν τοῦ δράκοντος, αὐτόνομον ἀφῆκε τὸν ἀετόν. χαλεπήνας δὲ ἐπὶ τούτοις ὁ δράκων, ἰὸν ἀφῆκε τῷ τοῦ σώσαντος πόματι. πιεῖν δὲ τοῦ γεωργοῦ πρὸς ἄνοιαν μέλλοντος, ὁ ἀετὸς καταπτὰς, τῶν τοῦ γεωργοῦ χειρῶν ἐξαιρεῖται τὴν κύλικα.

Τοὺς εὖ ποιοῦντας μένουσι χάριτες.

Fabula Corui & vulpeculæ, monens ne fraudulentis credatur. 29

COruus prędam habebat caseum, & in altum deferens residebat. quod videns vulpecula, fraude coruum circumuenit. Quam pulchro, inquit, coruus & decoro corpore est: colore vero inter aues prestantissimo: quod

Μῦθος ὁ τοῦ κόρακος καὶ τῆς ἀλώπεκος, παραινῶν ἀπατῶσι μὴ πείθεσθαι.

ΤΩι κόρακι τὸ θήραμα τυρὸς ἦν, καὶ ἐν μετεώρῳ φέρων ἐκάθητο· ἰδοῦσα δὲ ἀλώπηξ, ἀπάτῃ περιενόει τὸν κόρακα· τί ταῦτα, λέγουσα, μετελότητι μὲν ὁ κόραξ διενήνοχε σώματος, χροιὰν δὲ φέρεις, τῇ τῶν ὀρνίθων ἡγεμονίᾳ



γίας προέχουσαν· εἰ δὲ φωνὴν παρῆν, ἅπασιν εἶχες τὴν τῶν ὀρνίθων ἀρχήν. ταῦτα δὲ εἶπεν πρὸς ἀπάτην. ὁ δὲ ἐπαρθεὶς, τὸν τυρὸν ἐκβαλὼν, ἀνέκραγε μέγιστον, φωνῆς ἐπίδειξιν τὴν ἀφαίρεσιν ποιῶν τοῦ θρέμματος. ἡ δὲ λαβοῦσα· φωνὴ μὲν, ὦ κόραξ, εἶπεν, πρόσεστι· ὁ δὲ νοῦς ἐπιλέλοιπεν.

Ἐχθροῖς πειθαρχῶν, ὑποστήσῃ τὴν βλάβην.

quod si vox adesset omnē inter aues teneres principatum. Ea vero vt falleret locuta est. at ille persuasus, abiecto caseo, clamorem quam maximum edidit, ita vt dum ostendit vocem, amitteret caseum. Tum hæc præripiens, Vocem quidem, inquit, corue, habes, sed mentem non habes.

Hostibus credens damnū accipiet.

Μῦθος ὁ τοῦ συὸς, ἑκάστῳ διδοὺς τὰ οἰκεῖα μαθεῖν.

Ἐξ ἀγροῦ τὶς ἤλαυνεν σῦν, αἶγα, καὶ πρόβατον. ὄνος δὲ πάντα ἦγεν εἰς ἄστυ. καὶ

Fabula Suis, singulos sua scire volens. 30

Ex agro quidam reportabat suem, capram, & ouem. vno vero omnes tres

tres vehebantur aſino ad vrbem. & reliqua quidem duo animalia ſilebant: ſola vero ſus ingenti clamore vectori ſuo obſtrepebat. cui ille, Quid igitur, inquit, non tacitam prætermittis hanc vecturam, quemadmodum cætera! quoniam lactis quidem cauſa capra, lanæ vero gratia ouis abducitur, ego autem, reſpondit ſus, vt macter.

καὶ τὰ μὲν ἄλλα καθίσῃ σιγῇ μόνη δὲ ἡ ὗς μεγέθει βοῆς παρηνώχλει τὸν ἄγοντα· καὶ οὗτος πρὸς αὐτήν. τί δῆτα, ἔφη, κομιδὴν ἥσυχον ἅμα τοῖς ἄλλοις οὐ ποιῇ; ὅτι γάλακτος μὲν ἕνεκεν αἶξ· ἐρίων δὲ χάριν, ἄγεται πρόβατον· ἐγὼ δὲ σφαγῆς, προσεῖπεν ἡ ὗς.

Οἶδε τὴν πρόφασιν ἕκαστος τὴν ἰδίαν.

Fabula Graculi, vitandam docens eſſe fraudem. 31

Μῦθος ὁ τοῦ κολοιοῦ, παραινῶν τὴν πλεονεξίαν μισεῖν.

PVlchritudinis erat certamen, & ad Iouem, vt diſceptaretur hæc controuerſia, omnes iuerunt volucres: ac Mercurio quidem diem præfiniente, fluuioſque & lacus omnes petiere, deformibuſque pennis abiectis, elegantiores nitidabant. At cum à natura decori nihil haberet graculus, quæ reliquis exciderant, inde ſe ille exornauit. Sola tamen noctua, cum noſſet, id quod ſuum e-

Κάλλους ἦν ἀγών. καὶ παρὰ τῷ Διὶ κριθησόμενοι πάντες οἱ ὄρνεις ἐφοίτων, Ἑρμοῦ τὴν κυρίαν ὁρίζοντος· ποταμοὺς τε καὶ λίμνας ἅπαντες κατελάμβανον, τὰ μὲν φαῦλα τῶν πτερῶν ἀποβάλλοντες· τὰ δὲ κρείττω φαιδρύνοντες. κολοιὸς δὲ οὐδὲν εὐπρεπὲς ἔχων ἀπὸ τῆς φύσεως, ἃ τῶν ἄλλων ἐξέπιπτε, ταῦτα οἰκεῖον συνέθηκε κόσμον· γλαὺξ δὲ μόνη ἐπιγνοῦσα, τὸ ἑαυτῆς ἀφῃρεῖτο τὸν κολοιόν. καὶ τὰ ἄλλα πράττειν ἀνέπεισεν.

ἀφαιρεθεὶς δὲ τὰ παρὰ πάντων ὁ κολοιὸς, γυμνὸς εἰς τὴν Διὸς ἀφίκετο κρίσιν.

rat à graculo auferebat, ac vt reliquæ idem facerent, persuasit. His autem ab omnibus ita exutus graculus, nudus omnino venit ad iudicium Iouis.

Νόμος ἐπείσακτος, αἰσχύνη τοῖς ἔχουσι.

Res ascititia, pudori tandem est habentibus.

Μῦθος ὁ τοῦ τοξότου, λέγων πλείονα τὴν ἐπιβουλὴν τῶν οἰκείων ἀνδρῶν.

Fabula sagittarii, plurimas à suis ipsius propriis insidias intentari ostendens. 32

Τοξότης ἀετοῦ κατεστοχάζετο· καὶ βέλος ἀφεὶς, εἷλε τὸν ἀετόν· ἐπιστραφεὶς δὲ ὁ ἀετὸς, καὶ τὸ βέλος ἰδὼν ἐπτερωμένον τοῖς οἰκείοις πτεροῖς, ἔφη, τὰ παρ' αὐτοῦ τοῖς πολλοῖς πράγματα οἰκείων ἐπιβουλή.

Sagittarius in aquilam collimabat, & missa sagitta confixit aquilam, eamque conuersa ad sagittam aquila, eam quoque pennatam suis videret esse pennis, Multis, inquit, suæ propriæ facultates & res insidias & periculum creant.

Μῦθος ὁ τοῦ ἁλιέως καὶ τοῦ αὐλητοῦ, παραινῶν ταῖς τεχναῖς προσφόρως χρήσασθαι.

Fabula Piscatoris, qui piscator simul erat, & aulœdus, qua artibus suo quoque loco vtendum esse docetur. 33

Ἀνὴρ ἁλιεὺς ὁμοῦ καὶ αὐλεῖν ἐπιστάμενος, τοὺς

Vir piscator simul & aulœdus, acceptis tibiis



bus & retibus, & in mari nihil poterat capere. Sed cum tibiis nihil proficeret, missis iis, ad rete deuenit, quo cum vteretur ea cepit, quæ non poterat cum tibias inflaret.

Vtilitatem adferunt artes, si tempore & loco conuenienti exerceantur.

τοὺς αὐλοὺς λαβὼν καὶ τὰ δίκτυα παρὰ τὴν θάλασσαν, οὐδὲν εἶχε λαβεῖν. ὡς δὲ τοῖς αὐλοῖς ἠπόρει θήραν, τούτους ἀφεὶς, ἐπὶ τὸ δίκτυον ἤει· καὶ χρώμενος εἷλεν ἃς αὐλῶν οὐκ ἐθήρασεν.

Γέρας αἱ τέχναι τοῖς προσήκουσι πράγμασι νέμουσιν.

Fabula Leonis & Hominis, monens iustitiam esse amandam fugiendam superbiam. 34

CONtendebat cum leone vir: & vir quidē hominum genus esse defendebat excellentius, ille vero primas dabat leonibus.

Μῦθος λέοντος καὶ ἀνθρώπου. παραινῶν δικαιοσύνην ἀγαπᾶν, καὶ μὴ μεγαλαυχεῖν.

ΕΙς ἔριν ἀλλήλοις ἀνήρ τε καὶ λέων προῆλθον· καὶ ὁ μὲν ἀνὴρ τὸ τῶν ἀνθρώπων κρεῖττον ἀπέφαινε γένος, ὁ δὲ τοῖς λέουσιν ἐδίδου τὸ πλέον.

ἀμφαλ-

ἀμιλλωμένων δὲ περὶ τοῦ κρείττονος, πίστιν ὁ ἀνὴρ ἐξ εἰκόνος ἐλάμβανε, ἐν ᾗ λέων ἐγέγλυπτο ἐξ ἀνδρὸς ἀλισκόμενος. καὶ πρὸς ἐκεῖνον ὁ λέων, εἰ δὲ καὶ παρ' ἡμῖν ἦσαν οἱ γλύφοντες, πλείους ἂν εἶδες ἑαλωκότας ἐκ λεόντων ἀνθρώπους, ἢ παρ' ἀνθρώπων λέοντας.

Ὁ τοῖς ἴσοις δικαίων χρώμενος, οὐκ ἀπορήσει τῆς νίκης.

nibus. Digladiantibus ita illis de primatu, fidem vir fecit ex imagine, in qua leo ſculptus erat ab homine detentus. Leo autē, Quod ſi apud nos etiam eſſent ſculptores, plures equidem videres à leonibus premi homines, quā leones hominibus.

Qui iustis iuste vtitur, eum victoria non frustrabitur.

Μῦθος τοῦ κυνὸς, παραινῶν ἀπληστίαν φεύγειν.

Fabula Canis, ad auaritiam fugiendam exhortans. 35



Κρέας ἁρπάσας τις κυνῶν παρ' αὐτὴν διήει τὴν ὄχθην τινὸς ποταμοῦ. καὶ θεα-

CVm carnem rapuiſſet canis, in ripa ibat forte fluminis, cumq; videret vm-

vmbram in aquis maiorem duplo, quod quidem habebat, reliquit, maius vero attentans apprehendere, nec mediocris postea frusti nec maioris istius fructum cepit.

θεωρῶν τὴν σκιὰν διπλασίαν τοῖς νάμασιν, ὃ μὲν εἶχεν, ἀφῆκε· πειρώμενος δὲ λαβεῖν τὸ μεῖζον, συνδιαμαρτάνει μετὰ τοῦ μέτρου τοῦ πλείονος.

Fabula Quercus & Arundinis, monens ne quis fidat robori, aut viribus. 36

Μῦθος τῆς δρυὸς καὶ τοῦ καλάμου, παραινῶν μὴ ἰσχύϊ θαῤῥεῖν.



CVm quercu lis erat arundini. hæc enim admirata suũ robur, perinsolenter iactat resistere se posse ventorum furiis imbecillitatis autem accusabat arundinem, quasi nulli

ΕΙς ἔριν δρῦς καθίστατο κάλαμος· ἡ μὲν γὰρ αὐτὴν τῆς ἰσχύος ἐθαύμαζε, καὶ πρὸς τὴν τῶν ἀνέμων ἀντέχειν ἠλαζονεύετο μάχην. τῆς δὲ ἀσθενείας κατῃτιᾶτο τὸν κάλαμον, εἴκειν ἅπασι πεφυκό-

φυκότα τοῖς πνεύμασι. τούτῳ. τοι· καὶ πνεύσαντος ἀνέμου σφοδρότερον, ἡ μὲν πρόρριζος αὐθεστῶσα κατέπεσεν· ὁ δὲ ἀκέραιος κατακλινόμενος ἔμεινε.

Ὁ καιροῖς ὑπείκων, οὐκ ἐκπεσεῖται τοῦ σώζεσθαι.

nulli non vento esset morigera: ac vento vehementius inspirante, hæc quidem radicitus euulsa cecidit, illa vero integra & incolumis, vt quæ flexa vento cesserit, remansit.

Qui tempori cedit, seruabitur.

Μῦθος τῆς ἀμπέλου.

Ἄμπελος ἐκόμα βότρυσι· παραπλήσιον δὲ ἦν τοῖς καρποῖς καὶ τὸ βλάστημα. τράγος δέ τις ὕβρει χρώμενος πλείονι τῆς ἀμπέλου παρέτρωγε, καὶ διελυμαίνετο προσιὼν τοῖς βλαστήμασιν· ἡ δὲ πρὸς αὐτὸν ἔφη· μένει σοι τῆς ὕβρεως δίκη, σὺ μὲν γὰρ οὐ μικρὸν ὕστερον ἱερεῖον τοῖς θύμασιν· ἐγὼ δὲ παρ᾽ ἐμαυτῆς ἀποσπείσω τὸν οἶνον.

Ἃ δρᾷ τις, καὶ πείσεται.

Fabula vitis. 37

Vitis vuis onusta stabat, & iam florebant prope fructus cum caper ecce quidam iniuriosus, plurimum ambedit vitem, & corrupit florem, ad quem tum illa, Manet, inquit, te latæ iniuriæ pœna. Non enim multo post tu sacrificaberis inter victimas, ego vero contra ad eam rem libabo de vino meo.

Qualia quis facit etiam patietur.

Μῦθος ὁ τοῦ γεωργοῦ καὶ τῆς ἀλώπεκος.

Γεωργὸς πονηρὸς φθόνον ἐμπισεὶς τὸ τοῦ γείτονος αὔξα-

Fabula agricolæ & vulpis. 38

Agricola improbus cum inuideret proximo

ximo fœturā segetis, quæreretque quo pacto corrumpere posset eius labores, captam vulpem, alligata face, in vicini segetē dimittit. At illa, non qua missa erat excurrens, volente sic Deo, eius qui dimiserat combussit segetem.

Mali vicini, primi vicinorum malum sentiunt.

αὐξανόμενον λήιον, καὶ διαφθείρειν τοὺς ἐκείνου πόνους ἐζήτει καὶ θηράσας ἀλώπεκα, περιάψας δαλὸν, πρὸς τὸ τοῦ γείτονος ἀφίησι λήιον· ἡ δὲ καθ' ἧς ἀφεῖτο μὴ παρελεῖσα, βουλομένου τοῦ δαίμονος τὸ τοῦ πέμψαντος ἐνέπρησεν λήιον.

Πονηροὶ γείτονες, πρῶτον τῶν ἑτέρων μετέχουσι βλάβης.

Fabula nutricis & & lupi, ostendens non spei innitendum esse, ante euentum. 39

Μῦθος τῆς τροφοῦ καὶ τοῦ λύκου, παραινῶν μὴ ἐλπίδι μένειν πρὸ ἐκβάσεως.



NVtrici flendo molestus erat infans. cum vero ab importunitate non

Τιτθὴν ἐλύπει δακρῦον παιδίον. ὡς δὲ ἐνοχλούμενον οὐκ ἐπαύετο, ἠπείλει λύκῳ

λύκῳ παραβαλεῖν, εἰ μὴ παύσαιτο. λύκος δέ τις παρατυχὼν, ἔμενε τὸν λόγον ἐκβῆναι πρὸς ἔργον· καὶ τὸ μὲν παιδίον ἐδεδώκει πρὸς ὕπνον, κενὸς δὲ ὁ λύκος ἀπεχώρει θήρας, τῆς τε παρούσης, καὶ τῆς ἀλλαχόθεν ἐλπιζομένης γενήσεσθαι.

non absisteret, minata est lupo se proiecturam, nisi sileat; quod cũ lupus forte adueniens audiret, exspectauit dum fieret quod dixerat nutrix. & infans quidem obdormiuit, lupus autem spe prædæ deiectus abiit, & præsentis simul prædæ, & quam aliunde adepturum se sperauerat.

Ἄπορον ἐλπὶς μὴ προσλαβοῦσα τὴν ἔκβασιν.

Inanis spes est, quæ non sortitur exitum.

Μῦθος ὁ τοῦ κόρακος, παραινῶν τῇ φύσει μὴ πιθαρχεῖν.

Fabula corui, monens vt natura sua quisquis cõtentus sit. 40

Ἑωρακὼς τὸν κύκνον ὁ κόραξ ἐζήλου τοῦ χρώματος. οἰηθεὶς δὲ εἶναι τοιοῦτον οἷς ἀπελούετο, τοὺς βωμοὺς ἐκλιπὼν, ὅθεν ἐτρέφετο, λίμναις καὶ ποταμοῖς ἐνδιέτριβε. καὶ τὸ μὲν σῶμα φαιδρύνων, οὐκ ἤμειβε. τροφῆς δὲ ἀπορῶν διεφθείρετο.

CVm cycnum vidisset coruus, æmulari colorem voluit. Sed arbitratus è lauacris eum prouenire, relictis aris, vnde nutriebatur, ad lacus & flumina vitam egit, & cũ lauaret quidem corpus, non mutauit, pastu vero destitutus mortuus est.

Φύσιν οὐκ οἶδε μεταβάλλειν ἡ δίαιτα.

Naturã non potest transmutare viuendi genus.

F I N I S.

Z GA

ΓΑΒΡΙΟΥ ΕΛΛΗΝΟΣ
τετράστιχα.

GABRIÆ GRÆCI
Tetrasticha.

Περὶ Ανθρώπου καὶ λιθίνου Λέοντος.

ΑΝδρὸς ποσὶν πατεῖτο πέτρινος Λέων.
Καί τις Λέοντί φησι, τὴν ἰσχὺν βλέπεις;
Αλλ', εἰ Λέοντες εἶπεν, ἤδησαν γλύφειν,
Πολλοὺς ἂν εἶδες ὄντας ἀνθρώπους λίθους.

Επιμύθιον.

Οτι ἐπ' ἀρετῇ οὐ δεῖ σεμνύνεσθαι.

De Homine & Leone lapideo.

VIri pedibus calcabatur lapideus Leo.
Et quidam Leoni, Robur, inquit, intueris?
At si Leones, ait ille, sciuissent scalpere,
Multos vidisses esse homines lapides.

AFFABVLATIO.

Quòd non oporteat inflari virtute.

Περὶ Λέοντος κοιμωμένου καὶ Μυός.

ΛΕοντος ὑπνώττοντος, αὐχένος μέσου
Διέδραμεν Μῦς, ὃς δ' ἀνέστη συντόμως.
Γελᾷ δ' Αλώπηξ καὶ Λέων ἀπεκρίθη.
Οὐ μὴ πτοοῦμαι, τὴν ὁδὸν ἀνατρέπω.

Επιμύθιον.

Ὅτι οὐ δεῖ καὶ μικρὸν περιφρόνησιν ἀποστρέφεσθαι.

De leone dormiente, & Mure.

LEone dormiente per mediam ceruicem
Percurrit Mûs. Is autem ſurrexit illico.
Ridet Vulpes, ac Leo reſpondit,
Non timeo, ſed interrumpo iter.

AFFABVLATIO.

Quòd non oporteat, ne paruum quidem contemptum negligere.

Περὶ Λέοντος, καὶ Κάπρου καὶ Γυπῶν. 3

ΛΕων μάχην ἔστησε πρὸς ποτὲ Κάπρον,
Γύπες δ' ἄνωθεν ἐσκόπευον τὴν ἔριν,
Βρῶσιν τὸν ἡττηθέντα ποιῆσαι τάχα.
Φίλους δ' ὁρῶντες ἠστόχουν τῶν ἐλπίδων.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι οὐ δεῖ ἀλλοτρίοις κακοῖς ἐπιχαίρειν.

De Leone & Apro & Vulturibus.

LEo pugnam aliquando parauit aduerſus Aprum,
Vultures verò deſuper ſpeculabantur litem.
Vt deuorarent ſtatim, qui vinceretur.
Sed amicis iiſdem viſis, fruſtrati ſunt ſpe.

AFFABVLATIO.

Quòd non oporteat alienis malis lætari.

Περὶ Δορκάδος καὶ Λέοντος θυμωθέντος. 4

ΛΕοντα Δορκὰς ὡς ἴδεν μεμηνότα,
Ὦ μῆτερ θηρῶν, εἶπεν, ἀθλιωτάτη.
Εἰ σωφρονῶν γε, δυσκάθεκτος εἶ Λέων,
Πῶς νῦν μανεὶς οὐ μεστὰ δακρύων δράσεις.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι ἐξουσίαν ἔχοντα οὐ δεῖ θυμοῦσθαι.

De Caprea, & Leone furente.

LEonem Caprea vidit furentem,
O fatum ferarum, ait, miserrimum,
Si compos mentis, intolerabilis es Leo,
Quomodo nũc furens non plena facies lacrymarum?

AFFABVLATIO.

Quòd non oporteat eum, qui potestatem habet excandescere.

Περὶ Λέοντος, Ὄνου, Ἀλώπεκος. 5



ΛΕων, Ὄνος, Κερδώ τε πρὸς θήραν ἴον.
Ὄνου δὲ ταύτην εἰς τρίτον δεδασμένου,
Λέων κατέσπασ' ἀρπάξε. Κερδὼ δὲ πλέον
Ἔνειμεν αὐτῷ, σωφρονισθεῖσ' ἐξ Ὄνου.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι δεῖ ἐξ ὧν πάσχουσιν ἕτεροι, παιδεύεσθαι.

De Leone, Asino, Vulpe.

Leo

LEo, Asinus, Vulpesque, ad prædam iere.
In treis parteis eam cum Asinus diuisisset,
A Leone dilaceratus est. at Vulpes plus
Ei tribuit, edocta ab Asino.

AFFABVLATIO.

Quòd ex iis quæ alij patiuntur, doceri oporteat.

Περὶ Ὄνου βαστάζοντος εἴδωλον. 6

Ὤμοις Ὄνος παρῆγεν ἀργυρέου βρέτας,
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις αὖ ἐπροσκυνέι·
Τύφῳ δ᾽ ἐπαρθεὶς, μὴ θέλων μένειν Ὄνος,
Ἤκουσεν, οὐ Θεὸς σὺ, τὸν Θεὸν δ᾽ ἄγεις.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι τοὺς ἐν ἀξιώμασι τιμωμένους δεῖ γινώσκειν, ὅτι ἄνθρωποί εἰσιν.

De Asino gestante simulacrum.

HVmeris Asinus gestabat simulacrum argenteum,
Quod vnusquisque occurrens adorabat.
Superbia verò elatus, nolens manere Asinus,
Audiuit, Non es tu Deus, sed fers Deum.

AFFABVLATIO.

Quòd oporteat eos, qui in dignitatibus constituti sunt, cognoscere se esse homines.

Περὶ παιδὸς ἐσθίοντος σπλάγχνα. 7

Βοὸς φαγὼν παῖς εἰς ἑορτὴν ἔγκατα,
Οἴμοι κέκληγ᾽ ὡς σπλάγχνα, μῆτερ, ἐκχέω.
Ἡ δ᾽ αὖ γελῶσα, μὴ φοβοῦ τέκνον, ἔφη.
Τῶν σῶν γὰρ οὐδὲν. ἀλλ᾽ ἐμεῖς ἀλλοτρίων.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι δεῖ τἀλλότρια ἀντιστρέφειν καὶ μὴ γογγύζειν.

De Puero Comedente inteſtina.

BOuis puer feſto die quum comediſſet viſcera,
Hei mihi clamabat quòd inteſtina effundo mater:
Hæc ridendo ait, Ne timeas fili:
Non enim ex tuis quicquam, ſed vomis ex alienis.

AFFABVLATIO.

Quòd oporteat aliena reſtituere & non murmurare.

Περὶ Ἀλώπεκος καὶ Βάτου. 8

Φραγμοὺς Ἀλώπηξ ὡς ὑπερβαίνειν θέλεν,
Ὀλισθανοῦσα, καὶ βάτου δεδραγμένη,
Ἔξεσε πέλμα, λοιδορεῖ δὲ τὴν βάτον.
Μέμφου σεαυτὴν, μὴ μέ περ, κεῖνος φάτο.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς τὰ ἑαυτῶν κακὰ σιωπῶντας, τὰ δὲ τῶν ἑτέρων κατηγοροῦντας.

De Vulpe & Rubo.

SEpem Vulpes tranſilire voluit,
Lapſa, ac rubo innixa,
Percuſſa planta conuicia dicebat rubo:
Increpa te ipſam, non me, ille ait.

AFFABVLATIO.

Aduerſus eos, qui ſua tacent vitia, & alia reprehendunt.

Περὶ Κώνωπος καὶ Ταύρου. 9

Κώνωψ καθῆστο πρὸς κέρας Ταύρου πέλας,
Ὅνπερ κέλευεν, εἴπερ ἐκπτῆναι θέλει.
Ἤκουσε δ', ὥσπερ οὐκ ἔγνω καθημένον,
Οὕτω δὲ μὴ πτήσαντος αἴσθησιν λάβῃ.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς λογιζομένους ἑαυτοὺς εἶναι ἢ σοφοὺς, ἢ δυνατοὺς, ἢ φρονίμους, μὴ ὄντας δέ.

De Cu-

De Culice & Tauro.

CVlex olim in cornu Tauri ſedebat,
Quem dicere iuſſit, an ſe volare velit.
Audiuit vero quemadmodum non nouerat ſedentem,
Ita neque euolantem ſentiret.

AFFABVLATIO.

Aduerſus eos qui volunt eſſe ſapientes, potentesve, aut prudentes, nec ſunt.

Περὶ Ἐλάφου καὶ Ἀμπέλου. 10

ἜΛαφον ἐξήλαυνον οἱ κυνηγέται,
Ἥ τις δασείαις ἀμπέλοις ἀπεκρύβη,
Τὰ φύλλα βιβρώσκουσα δὴ τῶν ἀμπέλων,
Κυνηγέτουσιν ἐνδίκως ἐθηράθη.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς κακοποιοῦντας τοὺς αὐτῶν εὐεργέτας.

De Cerua & Vite.

CEruam perſequebantur venatores,
Quæ denſis in vitibus delituit.
Sed folia vitium quum comederet,
Venatoribus iure præda fuit.

AFFABVLATIO.

Aduerſus eos, qui malè faciunt benefactoribus ſuis.

Περὶ Ὄφεως καὶ Γεωργοῦ. H

ὌΦιν θέλων τὶς αὐτοῦ ὀλέθρου παιδὸς
Πλήττειν, πέτραν τ' ἔχισε, καὶ φιλεῖν θέλει.
Ὄφις δέ φησι, πῶς γένοιντο συμβάσεις,
Ἕως σὺ τύμβον τὸν σόν, ἐγὼ πέτραν βλέπω;

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι αἱ μεγάλαι ἔχθραι ἀδιάλλακτοί εἰσιν.

De Serpente & Agricola.

SErpentem quis pro filii interitu
Percussurus, petramque scidit, & amare volebat
Sed ait Serpens, quomodo fient conuentiones,
Quandiu tu tumbam hanc, ego lapidem video?

AFFABVLATIO.

Magnas inimicitias esse irreconciliabiles.

Περὶ Παιδὸς καὶ Σκορπίου. 12

ΩΣ ἀκρίδας ἐθήρευε, παῖς τις Σκορπίῳ
Ὤρεξε χεῖρας· ὃς δὲ μὴ ψαύσῃς, ἔφη.
Ὡς εἴγε μου ψαύσειας, ἐκ κόλπων στένων,
Καὶ τὰς ἀληθεῖς ἐκκενώσεις ἀκρίδας.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι δεῖ κακοῖς ἀνθρώποις μὴ συμμίγνυσθαι.

De Puero & Scorpio.

QVum locustas cepisset puer quidam, Scorpioni
Porrigebat manus. is autem, Ne attigeris, ait;
Nam si me tetigeris, suspirando ex sinu
Veras quoque locustas abiicies.

AFFABVLATIO.

Cum malis hominibus conuersari non oportere.

Περὶ Συὸς καὶ Μυός. 13

ΣΥς εἷλκέ τις Μῦν ἕργων ὄντ' ἀσιτίας.
Οὓς χαλκέες βλέποντες, ἔστησαν γέλων.
Ὁ Μῦς δ' ἔτι ζῶν, εἶπε μεστὸς δακρύων,
Ὡς οὐδὲ πῶ δύνασθε κἂν τρέφειν ἕνα;

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς τὰ ἑαυτῶν παραπτώματα παραβλέποντας, τὰ δὲ τῶν ἑτέρων γελῶντας.

De Sue & Mure.

SVs quidam Murem trahebat ad sedandam esuriem.
Quos videntes fabri ferrarii riserunt.

Mus

Mus verò adhuc viuens ait lacrymarum plenus,
Ne vnum quidem poteſtis paſcere Suem?

AFFABVLATIO.

Aduerſus eos, qui ſuos caſus negligunt, alienos verò deridunt.

Περὶ Ὄνου καὶ Λεοντῆς. 14



Φέρων Λέοντος δέρμα τοῖς ὤμοις Ὄνος,
Ηὔχει Λέων εἶναί τις αἰπόλους βλέπων.
Επεὶ δὲ γυμνὸς τῆς Λεοντῆς εὑρέθη,
Τοῦτον μύλων ἔμνησε τῆς ἀταξίας.

Επιμύθιον.

Ο μῦθος δηλοῖ, ὅτι αἱ παρ᾽ ἀξίαν τιμαὶ τάχιστα λύονται.

De Aſino & pelle Leonis.

LEonis pellem humeris ferens Aſinus,
Iactabat ſe eſſe Leonē quempiā videns caprarios.
Sed vbi ſine Leonis inuentus eſt pelle,
Priſtinum eum memorem turbationis reddidit.

AFFABVLATIO.

Fabula ſignificat, immeritos honores quāprimùm ſolui.

Περὶ Τράγου καὶ Ἀμπέλου. 15

Τράγῳ προσεῖπεν ἄμπελος, βλάπτεις σύ με
Κείρων τὰ φύλλα, μὴ γὰρ οὐκ ἔστι χλόη;
Ὅσον γὰρ αὖ βλάψειας, εὑρήσω τάχα
Πρὸς θυσίαν σὴν εἰς θεοὺς οἶνον βλύσαι.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι πολλάκις θέλων τις ἀδικεῖν τινα, ὠφελεῖ αὐτόν.

De Hirco & Vite.

Hircum vitis alloquuta est, Offendis tu me
Tondens folia. numnam non est herba?
Quamuis etiam nocueris, inueniam statim
Ad mactationem tui erga Deos, vinum vt scaturiat.

AFFABVLATIO.

Quòd plerumque volens quis aliquem iniuria afficere, iuuet eum.

Περὶ Ἀνδρὸς καὶ Γαλῆς γυναικός. 16



Ἀνὴρ γαλῆν γυναῖκα πρὸς δόμους ἄγει.
Παρῆν δὲ Κύπρις εἰς ἑορτὴν τοῦ γάμου.

Νύμφ

Νύμφη δὲ Μῦν βλέψασα, ὀξυτόνῳ τάχει
Δίωκε τοῦτον, μὴ τραπεῖσα τὴν φύσιν.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι τὸ ἐκ φύσεως ὂν οὐ μετατρέπεται.

De viro & fele vxore.

VIr felem vxorem in domum duxit,
Adfuit Venus in nuptiarum ſolennitate,
Sponſa verò viſo Mure, contenta celeritate
Eum perſequuta eſt, non mutata natura.

AFFABVLATIO.

Quòd id quod à natura eſt, non tranſmutetur.

Περὶ Δορκάδος τὴν τῶν ποδῶν λεπτότητα μεμφομένης. 17

ΠΗγαῖς ὁρῶσα Δορκὰς αὐτῆς τοι θέαν,
Λεπτοὺς πόδας μὲν ὠμεῖτο, χαῖρε δ' εἰς κέρα.
Λέων δ' ἐπεὶ δίωκε, τούτους ἠγάπα,
Κέρα καθυβρίζουσα, θήρας ὡς πάγην.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι πολλάκις τὶς ὠφελεῖται, ἐξ ὧν δοκεῖ βλάπτεσθαι.

De Caprea reprehendente pedum tenuitatem.

IN fontibus ſuam imaginem videns Caprea,
Tenueis carpebat pedes, ſed gaudebat cornibus.
Quum verò Leo perſequutus eſt ipſam, eos amabat,
Cornua reprehendens, vt prædæ laqueum.

AFFABVLATIO.

Quòd plerumque quis iuuatur ex quibus videtur lædi.

Περὶ Ἀλώπεκος καὶ Σταφυλῆς. 18

ΚΕρδὼ βότρυν βλέπουσα μακρᾶς ἀμπέλου,
Πρὸς ὕψος ἧρτο, καὶ καμοῦσα πολλάκις
Ἑλεῖν, ἀπεῖπε. πρὸς δ' ἑαυτὴν ταῦτ' ἔφη,
Μὴ κάμνε· ῥάγες ὀμφακίζουσιν μάλα.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνάγκην φιλοτιμίαν.

De Vul-

De Vulpe & Vua.

VVlpes racemum proceræ videns vitis,
In altum eleuabatur: quumque ſæpe laboraſſe
Vt caperet, defatigata eſt: ſed ſecum hæc loquuta eſt
Ne labora, acini vuæ exacerbeſcunt admodum.

AFFABVLATIO.

In eos qui de neceſſitate voluntatem faciunt.

Περὶ Κόρακος καὶ Ἀλώπεκος. 19



Τυρὸν Κόραξ ἔδακνε, Κερδὼ δ' ἠπάτα,
Εἰ γλῶσσαν εἶχες, Ζηνὸς ἦς ὄρνις μέγας.
Εὐθὺς δ' ὁ τοῦτον ῥίψεν, ἣ δ' αὐτὸν φάγεν.
Ἔχεις Κόραξ ἅπαντα, νοῦν κτῆσαι μόνον.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ἐπὶ κολακείαις χαίροντας.

De Coruo & Vulpe.

CAſeum Coruus mordebat, ſed Vulpes decipiebat,
Si linguam haberes, eſſes magna Iouis auis.
Continuò verò is eum abiecit. ea ipſum comedit.
Habes Corue omnia, mentem ſolam compara.

AFFABVLATIO.

Aduer-

Aduersus eos qui adulationibus delectantur.

Περὶ Βατράχων καὶ ἡλίου. 20

ΓΑμοις ἔχαιρον Βάτραχοι τοῦ ἡλίου.
Καί τις πρὸς αὐτοὺς εἶπεν, ὦ δειλὸν γένος·
Εἰ γὰρ μόνας τρέμοι μὲν αὐγὰς ἡλίου,
Τίς, εἴγε τεκνώσειε. τοῦτον βαστάσει;

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ἐπὶ ἰδίᾳ βλάβῃ ἀγνωσίας χαίροντας.

De Ranis & Sole.

OB nuptias Solis lætabantur Ranæ,
Quædamque ad eas ait, O miserum genus,
Nam si solos radios Solis timemus,
Si genuerit filios, quis eum feret?

AFFABVLATIO.

Aduersus eos qui suo damno præ ignorantia gaudent.

Περὶ ὄρνιθος ᾠὸν χρυσοῦν τικτούσης, καὶ Φιλαργύρου. 21



ΕΤικτε χρυσοῦν ᾠὸν ὄρνις εἰσαεὶ πυξ.
Καί τις πλανηθεὶς χρυσεραστὴς τὴν φρένα

Ἐκτεί-

Ἔκτεινε ταύτην, χρυσὸν ὡς λαβεῖν θέλων.
Ἐλπὶς δὲ μεῖζον δῶρον ὤλεσεν τύχης.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ἐλπίδι κέρδους εἰς ζημίαν ἐκ μικροψυχίας ἐμπίπτοντας.

De Gallina aureum ouum pariente & auaro.

OVum aureum Gallina ſemel peperit,
Quidamque auarus deceptus animo,
Eam occidit aurum acceptarus.
Sed ſpes perdidit maius fortunæ donum.

AFFABVLATIO.

In eos qui ſpe lucri in damnum ex puſillanimitate incidunt.

Περὶ ἀστρολόγου καὶ ὁδοιπόρου. 22

Ἄστροις προσκοπῶν τις ἀστρολόγος,
Πίπτει λεληθὼς πρὸς φρέαρ. τυχὼν δέ τις
Ὁδοιπόρος, στένοντι ταῦτ' ἔφη λέγων,
Νοῦν θεὶς ἄνω, βέλτιστε, τὴν γῆν οὐ βλέπεις;

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι πολλοὶ τὰ ἐνεστῶτα μὴ γινώσκοντες, τὰ μέλλοντα καυχῶνται γινώσκειν.

De Stellarum ſpeculatore & Viatore.

STellis intentus quidam ſtellarum ſpeculator
Cadit imprudens in puteũ: ſed quidã ſuperueniens
Viator ſuſpiranti hæc inquit, dicens:
Animũ qui applicuiſti ſurſũ, ô optime, terrã non vides?

AFFABVLATIO.

Quòd plerique quum præſentia neſciant, futura cognoſcere glorientur.

Περὶ Ἵππου καὶ Κάπρου. 23

Ἤριζεν Ἵππος ἀγελαστάτῳ Κάπρῳ,
Ὁρμῇ δὲ πρὸς Ἵππος οὐ σθένων ὅλως,
Ἑαυτὸν ἐκδέδωκεν, ἄγραν σύμμαχον

Εὕπει.

Εὗπε ἱερὸν ἄνδρα πρὸς σφαγὴν τοῦ θηρίου.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι δι' ἔχθραν τινὲς καὶ εἰς δουλείαν ἑαυτοὺς ἐμβάλλουσιν.

De Equo & Apro.

PVgnabat equus cum ferocissimo Apro.
Impetũ verò feræ Equus quum penitus non sustinerer,
Sese dedidit inuento socio
Viro iugulandæ feræ perito.

AFFABVLATIO.

Quòd nonnulli ob inimicitias in seruitutem sese dedant.

Περὶ ἀνδρὸς μιξοτρίχου καὶ δυοῖν ἑταίραιν. 24



ΕΡωμένας δύ' εἶχεν ἀνὴρ μιξότριξ,
Χρόνῳ δ' ἐνηνοχυῖαι ταύτῃ καὶ τρόπῳ,
Ἡ μὲν μελαίνας, ἡ δὲ λευκὰς ἐκφέρειν,
Ἐξ ὧν ψιλωθεὶς, πᾶσιν ὤφθη γέλως.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς εἰς δύο ἐναντία πράγματα ἑαυτοὺς ἐμβάλλοντας.

De viro misticapillo, & duabus amicis.

AMicas duas habebat vir misticapillus,
Ætate autem & moribus omnino dissimileis.

Altera

Altera nigros capillos, albos altera, euellebant.
Quapropter depilatus, omnibus ridiculo fuit.

AFFABVLATIO.

Aduersus eos qui in duas res contrarias sese iniiciunt.

Περὶ Ἀετοῦ τε καὶ Κολοιοῦ. 25



ΑΡνὸν καταπτὰς Αἐτὸς καθαρπάσας,
Ἰδὼν Κολοιὸς, ἐν κριῷ πράττει τάδε·
Ὃν εἷλε ποιμήν. παῖς δ᾽ ἐφώνει τοῦτό τι,
Ἐμοὶ Κολοιὸς, Αἐτὸς δ᾽ αὑτῷ πέλει.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι οὐ δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς κρείττονας.

De Aquila & Cornicula.

AGnum deuolans Aquila quum rapuisset,
Idque vidisset Monedula, in ariete facit eadem,
Quam pastor cepit. puer autem clamabat tale quid,
Mihi monedula, Aquila autem sibi est.

AFFABVLATIO.

Quod non oportet imitari præstantiores.

Περὶ

Περὶ Κολοιοῦ τε καὶ ἄλλων ὀρνέων. 26

ΑΛλοτρίοις πτεροῖσιν ἠμφιεσμένος,
Ηὔχει Κολοιὸς ὀρνέων ὑπερφέρειν.
Πρῶτον δὲ δῶρον ἡ Χελιδὼν ἡρπάκει,
Μεθ' ἣν ἅπαντες, εἶτα γυμνὸς εὑρέθη.

Επιμύθιον.

Ὅτι τὸ ἐξ ἐρανοῦ κάλλος διαλύεται.

De Cornicula & cæteris Auibus.

ALienis pennis induta
Gloriabatur Cornicula præstare auibus.
Primum donum Hirundo rapuit,
Post eam omnes, hinc nuda inuenta est.

AFFABVLATIO.

Quod ex collatione pulchritudo dissoluatur.

Περὶ Αετοῦ τε καὶ ὀϊστοῦ. 27

ΒΕλει τὸ στῆθος Αετὸς τρωθῆ πάλαι,
Αλγῶν δὲ λοιπὸν ἧστο πολλὰ δακρύων.
Βλέπων δ' ὀϊστὸν εἶπεν ἐπτερωμένον,
Βαβαὶ, πτερὸν με τὸν πτερωτὸν ὀλλύει.

Επιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ἐκ τῶν ἰδίων κακῶς πάσχοντας.

De Aquila & Sagitta.

SAgitta pectus Aquila vulnerata est olim.
Dolens autem postea sedebat admodum plorans.
Videns autem sagittam pennatam, ait,
Papæ, penna me pennatam occidit.

AFFABVLATIO.

In eos qui à suis mala patiuntur.

Περὶ θηρῶν καὶ ὀρνέων μάχης καὶ Στρουθοῦ. 28

Πᾶσι πεφύκει θηρσὶ καὶ πτηνοῖς μάχη,
Ἥλω Λίβυσσα Στρουθός, ἣ τοὺς δ᾽ ἐπλάνα,
Εἶναι μὲν ὄρνις, ἐκ μέρους δ᾽ θηρίον,
Πτηνοῖς κάρην δεικνῦσα, τοῖς θηρσὶ πόδας.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς δυσὶ κυρίοις δουλεύοντας, καὶ πλανῶντας ἀμφοτέρους.

De pugna ferarum ac volucrium, & Struthione.

OMnes inter se feræ & volucres concertabant,
Capta est Struthio Libyca, quæ hasce decipieba[t]
Esse quidem auis, ex parte verò fera,
Volucribus caput, feris pedes ostendens.

AFFABVLATIO.

Aduersus eos, qui duob. seruiẽdo dominis vtrosq; decipiu[nt]

Περὶ Χελιδόνος καὶ Κριτηρίου. 2[9]

Πῆξε Χελιδὼν νεοσσιὰν Κριτηρίῳ
Ὑπερθεν, ἧσπερ τὴν γονὴν βλάπτει Δράκων.
Ἡ δ᾽ αὖτ᾽ ἔφησεν, ὦ πολυστόνου τύχης,
Ὅπου γὰρ ἐκδίκησις, ἐβλάβην μόνη.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς παθόντας κακὸν ἀπὸ καλῶν ἀνθρώπων.

De Hirundine & Prætorio.

HIrundo fixit nidulum super Prætorio,
Cuius prolem lædit Serpens.
Hæc autem dixit, O ingemiscendam fortunam:
Vbi enim vltio est, sola offensa sum.

AFFABVLATIO.

In eos, qui malum à bonis patiuntur.

Περὶ τριῶν Βοῶν ὁμοφρώνων, εἶτα ἀσυμφώνων καὶ Λέοντος. 30

ΟΜόφρονες νέμοντο τρεῖς ὁμοῦ Βόες,
Οὓς οὐδὲ θὴρ ἔβλαπτε πολλάκις Λέων.
Ἔχθρας δ᾽ μίσει, καὶ μάχης διαρχίσας,



Ἕκαστον ἐκβέβρωκε γυμνὸν ὡς ἕνα.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς χωριζομένους ἐκ τῶν ἰδίων, καὶ διὰ τοῦτο κακῶς πάσχοντας.

De tribus Bobus concordibus, inde discordibus, & Leone.

Concordes pascebantur tres simul Boues.
Quos ne ferus quidem lædebat Leo.
Qum verò inimicitiarum odio & pugna dissensissent,
Singulos deuorauit nudos vt vnum.

AFFABVLATIO.

Aduersus eos, qui à suis dissident, & propterea mala patiuntur.

Περὶ Γεωργοῦ καὶ Γεράνου. 31

Ἔθνει Γεράνων πῆξέ τις σποράδος πάγην.
Μεθ' ὧν Πελαργὸν εἷλεν, ὃς θρηνεῖ μέγα.
Ἔφη δ' ἀροτρεύς, ὡς φίλος μοι εἶ σύ μοι.
Ἀλλ' ἡ πάγη λαβοῦσα, σὺν κακοῖς ἔχει.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς φίλον τινὸς, ἐνεύμενον τοῖς ἐχθροῖς τοῦ φίλου αὐτοῦ.

De Agricola & Ciconia.



GRuibus tetendit Agricola quidam laqueum,
Cũ quib. Ciconiã cępit, quæ vehemẽter lugebat.
Dixit autem agricola, Vt amica quidem tu mihi es:
Sed laqueus qui cepit te, cum malis tenet.

AFFABVLATIO.

In amicum cuiusdam, coniunctum cum inimicis amici ipsius.

Περὶ Κυνὸς καὶ εἰδώλου αὐτοῦ ἐν τῷ ὕδατι. 32

Φέρων ποταμοῦ πλησίον Κύων κρέας,
Κύψας ἑαυτὸν, ἄλλον εἰς ὕδωρ βλέπει.
Καινὸν δὲ λοιπὸν τοῦ τούτω λαβεῖν κρέας,
Ἀπεστερεῖτο καὶ τοῦ οὗπερ ἐκράτει.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι ὁ πλεονεκτῶν μᾶλλον ζημιοῦται.

De Cane & imagine ipsius in aqua.

CAnis propter flumen carnem ferens,
Qum se acclinasset, aliam in aqua videt:
Hiſcens



Hiſcens autem vt inferiorem aliam carnem caperet,
Priuatus & ea eſt cuius compos erat.

A F F A B V L A T I O.

Quòd cupidus magis damno afficitur.

Περὶ Ὄνου καὶ ἁλὸς καὶ Σπόγγων. 33

Περῶν ποταμὸν φόρτον ἦγ᾽ ἁλὸς Ὄνος,
Ἐν ᾧ τε καὶ πέπτωκε κουφισθεὶς βάρος.
Σπόγγων δ᾽ ἔπειτα πλῆθος οὕτως ὡς φέρειν,
Πεσὼν ἑκόντι, δυστυχῶς ἀπεπνίγη.

Ἐπιμύθιον.

Ὅτι πολλάκις προσδοκία κέρδους εἰς ζημίαν καταντᾷ.

De Aſino & Sale, & Spongiis.

TRanſiens fluuium onus ſalis portabat Aſinus.
In quo etiam cecidit leuatus onere.
Dehinc quum itidem multum ſpongiarum ferret,
Cecidit ſponte, & infeliciter ſuffocatus eſt.

A F F A B V L A T I O.

Quòd plerumque exſpectatio lucri in damnum incurrit.

Περὶ Καμήλου καὶ Διός. 34



Κυρτὴ Θεὸν Κάμηλος ἐζήτει κέρα,
Ἣν ἐξεμυκτήρισε τῆς ἀβουλίας.
Ζημιοῖ γὰρ αὐτὴν λοιπὸν ὦτα καὶ κάρα,
Ὡς αὖ γε παντέπασιν αἰσχίστη πέλῃ.

Ἐπιμύθιον.

Οὔτι δεῖ παρὰ τοῦ Θεοῦ αἰτεῖν τὰ προσήκοντα.

De Camelo & Ioue.

Curua Camelus à Deo petebat cornua,
Quam derisit ob malum consilium.
Minuit enim ei de cætero aures & caput,
Vt ab omni parte foret turpissima.

AFFABVLATIO.

Quòd oporteat à Deo conuenientia petere.

Περὶ Λύκου καὶ Ἀρνός. 35

Λύκος πρὸς Ἄρνα φησὶν, οὐ πρόσθεν σύ μοι
Ὕδωρ τάραττες; ἄρτι γαστρὸς ἐξέφυν,
Καὶ πῶς ὕδωρ τάραττον ἀγνοῶ ποτε.

Θείσ



θοινὴ γένῃ μοι κἂν θέμις, κἂν μὴ θέμις.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ἀδεῶς φανερῶς ἀδικοῦντας.

De Lupo & Agno.

LVpus Agno inquit, Nonne dudum tu mihi
Aquam perturbasti? nuper ex ventre natus sum,
Et quomodo aquam perturbarim nescio quando.
Cœna fies mihi, siue iure, siue iniuria.

AFFABVLATIO.

Aduersus eos, qui intrepidè palam iniurii sunt.

Περὶ δειλοῦ Κυνηγοῦ καὶ Ποιμένος. 36

ΔΕιλὸς Κυνηγὸς πρός τιν' εἶπε ποιμένα,
Εἴπου Λέοντος ἴχνη εἶδες, μοι φράσον.
Σοὶ τοῦτον εἶπεν, ἐθέλεις δείξω πέλας
Ἴχνος. Κυνηγὸς εἶπεν, οὐ ζητῶ πλέον.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς ἀνθρώπους θρασεῖς πρὸς λόγους, καὶ πρὸς ἔργα δειλούς.

De Venatore timido, & Pastore.

TImidus Venator Pastori cuidam ait,
Sicubi Leonis vestigia nosti, dic mihi,

Tibi ipſum, ait, vis oſtendam prope
Veſtigium. Venator ait, Non quæro amplius.

AFFABVLATIO.

Aduerſus homines audaces verbis & factis timidos.

Περὶ Ἱππότου καὶ Ἀγροίκου. 37

Ἤτει λαβεῖν ἀγροῖκον λαγὼν ἱππότης.
Λαβὼν δὲ χερσὶ τοῦτον, ἠρώτα, πόσου;
Καὶ πῶλον ἐξήλαυνεν. Ἀγροῖκος δ᾽ ἔφη,
Μὴ σπεῦδε, σοὶ δώρημα τοῦτο προσφέρω.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ἐξ ἀνάγκης παραιτουμένους τὰ ἴδια.

De Equite & Agricola.

PEtebat Leporem ab Agricola vt acciperet Miles.
Accepto eo manibus rogabat, quanti?
Et equum admiſit. Agricola autem ait,
Ne feſtina, tibi donum hoc offero.

AFFABVLATIO.

Aduerſus eos qui neceſſario recuſant res ſuas.

Περὶ Λύκου καὶ Ὄνου. 38

Ὀδοῦσιν ἧλον εἷλεν ἐξ ὄνου λύκος.
Αἰτῶν δὲ μισθὸν, πλήττεται λὰξ τὴν γένυν.
Λύκος δέ φησι, πῶς μάγειρος ὢν πάλαι
Ἰατρικῆς μεθῆλθον ἔργ᾽ ἀναξίως;

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς τὴν ἰδίαν τέχνην καταλιμπάνοντας, καὶ ἑτέραν μετερχομένους ἐπὶ βλάβῃ.

De Lupo & Aſino.

EX aſino clauum dentibus extraxit Lupus.
Petens verò mercedem, percutitur calcibus gena.
Lupus autem inquit, Quo coquus quum eſſem olim,
Medicinæ opera indignè exercui?

AFFABVLATIO.

In eos

In eos qui propriam artem derelinquunt, & aliam aggrediuntur incommode.

Περὶ Λύκου καὶ Γεράνου. 39

Εἰς λαιμὸν ὀστοῦν ἐμπεπήγη τοῦ Λύκου,
Μισθὸν γ' ἑλὼν Γέρανος, ᾔτει τὴν χεῖρα.
Ζῶον τράχηλον ἐκ Λύκου λαιμοῦ φέρων,
Μηδ' ἄλλο μηδὲν μισθὸν ἢ τοῦτο σκόπει.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς ἐπὶ κίνδυνον πρᾶξιν ἐγχειρήσαντας, καὶ μετὰ τὸ σύνθημα ζητοῦντας μισθόν.

De Lupo & Grue.

IN Lupi gutture os infixum erat,
Mercede autẽ quũ extraxisset Grus, petebat pretiũ,
Saluum collum ex Lupi gutture ferens,
Nullam aliam mercedem, quàm hoc considera.

AFFABVLATIO.

In eos qui periculosum negotium aggrediuntur, & post conuentionem, quærunt mercedem.

Περὶ Ταύρου καὶ Τράγου. 40



Ἤλαυνε ταῦρον ἐξ ἑῆς κοίτης τράγος,
Ὃν θὴρ λέων δίωκεν. εἶπεν δὲ στένων,
Εἰ γάρ με μὴ λέοντος ἐπτόει φόβος.
Ἔγνως ὅσον ταύρου τε καὶ τράγου σθένος.

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς καταδεχομένους ὑβρίζεσθαι ὑπὸ μικρῶν, διὰ φόβον ἑτέρων μειζόνων.

De Tauro & Hirco.

Expellebat Taurum ex ſuo cubili Hircus,
Quem ferus Leo inſectabatur. ait autem ſuſpirans,
Niſi me Leonis timor perterreret,
Scires quanta Tauri & Hirci vis ſit.

AFFABVLATIO.

In eos qui affici iniuria ferunt à paruis, metu aliorum maiorum.

Περὶ μύρμηκος καὶ τέττιγος. 41



Ἤτει τροφὴν μύρμηκα τέττιξ ἐν κρύει.
Μύρμηξ δ' ἔφησε, τί θέρους ὄντος ἔδρας;
Ὡς ἐν θέρει, εἴρηκεν, ᾖδον ὀξέως.
Χειμῶνος ὀρχοῦ, φησί, μὴ τροφῆς ἔρα.

Ἐπι-

Ἐπιμύθιον.

Πρὸς τοὺς μὴ θέλοντας ἐν νεότητι κοπιᾶν, καὶ διὰ τοῦτο ἐν τῷ γήρᾳ πτωχεύοντας.

De Formica & Cicada.

PEtebat à Formica cicada cibum, hyeme:
Sed Formica ait, Quid æſtate faciebas?
Quòd æſtate acutè caneret dixit.
Hyeme ſalta, inquit, ne ama cibum.

AFFABVLATIO.

Aduerſus eos, qui in iuuentute nolunt laborare, & propterea in ſenectute mendicant.

Περὶ Ὄφεως καὶ Γεωργοῦ. 42

Ἔθαλπέ τις Γεωργὸς ἐν κόλποις Ὄφιν
Ὥρᾳ κρύους, ἐπεὶ δὲ θέρμης ᾔσθετο,
Ἔπληξε τὸν θάλψαντα, κἄκτεινε τάχος.

Ἐπιμύθιον.

Οὕτω κακοὶ ποιοῦσι τοὺς εὐεργέτας.

De Serpente & Agricola.

AGricola quidam in ſinu fouit Serpentem
Frigoribus: vbi autem calorem ſenſit,
Percuſſit eum qui fouit, atque occidit ſtatim.

AFFABVLATIO.

Sic mali tractant benefactores.

Περὶ Χελιδόνος καὶ Ἀηδόνος. 43

Ἀγροῦ Χελιδὼν μακρὰν ἐξεποτήθη,
Εὗρε δ' ἐρήμοις ἐγκαθημένην ὕλαις
Ἀηδόν' ὀξύφωνον· ἣ δ' ἀπεθρήνει
Τὸν Ἴτυν ἄωρον ἐκπεσόντα τῆς ὥρης.
Χ' ἡ μὲν Χελιδὼν φησι, φιλτάτη ζώοις,
Πρῶτον βλέπω σε, σήμερον μετὰ Θρᾴκην.
Ἀλλ' ἐλθ' ἐς ἀγρὸν, καὶ πρὸς οἶκον ἀνθρώπων.
Σύσκηνος ἡμῖν, καὶ φίλη κατοικήσεις.

Οπου γεωργοῖς, κοὐχὶ θηρίοις ᾄδεις.
Τὴν δ᾽ αὖτ᾽ ἀηδὼν ὀξύφωνος ἠμείφθη,
Εα με πέτραις ἐμμένειν ἀοικήτοις.
Οἶκος δέ μοι πᾶς, ἥτε μῖξις ἀνθρώπων
Μνήμην παλαιῶν συμφορῶν ἀναφλέξει.

Επιμύθιον.

Ο μῦθος δηλοῖ, ὅτι κρεῖττον ἐν ἐρήμοις ζῆν ἀλύπως, ἢ συνοικεῖν ἐν πόλεσι τοῖς κακοῖς.

De Hirundine & Luſcinia.

PRocul ab agro Hirundo euolauit.
Reperit autem in deſertis ſedentem ſyluis
Acutè canentem Luſciniam: ea verò lugebat
Itym immaturum exceſſiſſe è vita.
Et Hirundo inquit, Chariſſima ſalua ſis.
Primum hodie te poſt Thraciam video.
Sed veni rus & in domum hominum,
Contubernalis nobis, & chara habitabis,
Vbi agricolis. & non feris cantabis.
Cui Luſcinia canora reſpondit,
Sine me in petris manere deſertis,
Nam domus omnis & conſuetudo hominum
Memoriam antiquarum calamitatum reaccendet.

AFFABVLATIO.

Fabula ſignificat, præſtare ſine dolore viuere in deſertis, quàm cum malis habitare in ciuitatibus.

FINIS.

SEQVVN-

SEQVVNTVR BABRIÆ FAbulæ nunquam hactenus editæ.

Κύπρις καὶ Δούλη. 1

ΑΝδρὸς πόθον μετῆξεν εἰς δούλην Κύπρις.
Ἡ δ' αὖγ' ἐτίμα τὴν θεὰν καθ' ἡμέραν.
Ἕως καθ' ὕπνους φησὶν μὴ τίμα σύ με
Τὸν ἄνδρα πημαίνω γὰρ, οὐ ποθῶ σέγε.

Ἐπιμύθιον.

Ὀφείλομεν τὸ αἴτιον στοχάζεσθαι.

Venus & Ancilla.

HOminis amorem traduxit in ſeruam Cypris.
Illa vere colebat deam ſingulis diebus.
Donec in ſomnis dixit, Ne colas tu me.
Virum lædo enim, te non amo.

ADFABVLATIO.

Oportet cauſſam conſyderare.

Ὄρνις καὶ Αἴλουρος. 2

ΚΑμνοῦσαν Ὄρνιν εἶδεν Αἴλουρος νόσῳ.
Πρὸς ἣν ἔφησε, πῶς ἔχεις σὺ τῆς νόσου;
Τρέμουσα δ' εἶπεν, εἰ παρέλθῃς μακρόθεν.
Ζωὴν ὑπέλθω δορκάδων ὑπερτέραν.

Ἐπιμύθιον.

Φυλάττεσθαι πολεμίων ὑπόκρισιν.

Gallina & Felis.

LAborantem Gallinam vidit Felis morbo
Ad quam dixit, quo modo habes à morbo?
Tremens dixit, ſi præterieris longius
Vitam aſſequar ceruorum vita longiorem.

Adfab

ADFABVLATIO.

Cauendum ab inimicorum simulatione.

Λέων καὶ Τοξότης. 3

Μάχην Λέων συνῆπτεν ἀνδρὶ τοξότῃ
Βέλει τυπεὶς δ᾽ ὁ θηρσὶν εἶπε τοιάδε.
Εἰ δὴ προπομποὺς εὐπορεῖ τοίους ὅγε,
Τίς αὐτὸς εἴη συσταδὴν ὡρμημένος.

Επιμύθιον.

Γνωσιμαχεῖν ἐκ πείρας διδασκόμεθα.

Leo & Iaculator.

PVgnam Leo iniit cum homine iaculatore.
Telo autem ictus, feris dixit ista
Si præcursores plures habet tales,
Quis fuerit cominus congressurus.

ADFABVLATIO.

Resipiscere post captum bellum & vires nosse nostras ab experientia discimus.

Κερδώ. 4

Εἰσδῦσα Κερδὼ πρὸς δρυὸς κοίλης βάθος
Εὕρισκε δαῖτα ποιμένος, καὶ δὴ φάγε.
Ὡς μὴ προκύπτειν ἐκ πάχους, εἶπεν δέ τις,
Θέλεις προελθεῖν, ὥσπερ εἰσῆλθες γλόυ.

Επιμύθιον.

Τὰ ὀλέθρια πάθη ζημίας ἴσας θεραπεύονται.

Vulpes.

INgressa Vulpes quercus cauę profunditatem
Reperit cibum pastoris, & comedit
Vt exire præ crassitudine nequiret, dixit aliquis
Vis exire, vt cum ingressa es fias.

ADFABVLATIO.

Perniciosa adfectiones aquas pœnas demerentur.

Après

Ἀρνὸς καὶ Λύκος. 5



ΠΥργου προκύπτων Ἀρνὸς ἔσκωπτε Λύκον,
Ὡς ἐχθρὸν, ὡς κάκιστον, ὡς μεστὸν φόνου.
Ἄνω δὲ βλέψας φησὶν οὐ σκώπτεις σύ με.
Πυργὸς δ', ὃς ὁπλίξει σε πρὸς μέγα θάρσος.

Ἐπιμύθιον.

Καιρῷ μὴ θρασύνεσθαι.

Agnus & Lupus.

DE turri proſpiciens Agnus irridebat Lupum.
Vt inimicum, vt peſſimum, vt plenum cædis.
Surſum vero aſpiciens dixit, non irrides tu me
Sed turris, quæ armat te ad magnam audaciam.

ADFABVLATIO.

Tempore non inſoleſcere.

Καρκῖνος καὶ Τέκνον. 6

ΟΡθῶς βαδίζειν εἶπεν Καρκῖνος Τέκνον
Μὴ δῆγε λοξὸς τὴν ὁδὸν παρατρέχεις.
Προῆγε μῆτερ, καὶ καθηγοῦ τοῦ τέκνου.

Καὶ γὰρ



Κἀγὼ βλέπων ἕψοιμι πρὸς τὰς σὰς τρίβους.

Επιμύθιον.

Ὃ παραινεῖ τις, ποιείτω.

Cancer & natus eius

RECta ambulare dixit Cancer filio
Neque obliquus viam prætercurre.
Præi mater, & duc filium
Et ego videns ſequar tuas ſemitas.

ADFABVLATIO.

Quæ quis hortatur fieri, illa faciat.

Αἰπόλις καὶ Αἶξ. 7

ΡΑβδῳ κατῆξεν Αἰγὸς Αἰπόλις κέρας.
Η πρὸς πασῶν ἐδεῖτο δακρύων μέγα.
Μὴ δὴ συφήσοις ταῦτα πρὸς τὸν δεσπότην,
Η δ' αὖ γέφυσι, πλέον ἠχήσει κέρας.

Επιμύθιον.

Φανερὸν ἁμάρτημα μὴ σοφίζεσθαι.

Paſtor & Capra.

VIrga fregit Capreæ Paſtor cornu
Qui per omnes rogabat lacrimas multum

Ne narres

Ne narres illa ad dominum
Illa vero dixit, Magis clamabit cornu.

ADFABVLATIO.

Manifestum peccatum non obtegere.

Χελώνη καὶ Αετός. 8



Νωθρὴ Χελώνη σὺν πτέροις ἤτει δρόμον
Ὑψοῦ δὲ ταύτην Αἰετὸς συναρπάσας
Ἔρριψε πέτραις, καὶ θλάσας μόλις δ' ἔφη
Κρεῖσσον βάρος μοι μᾶλλον, ἢ πτερῶν τάχος.

Επιμύθιον.

Τοῦ ἀδυνάτου μὴ ἐρᾶν, τοῦ δυνατοῦ ὀρέγεσθαι.

Testudo & Aquila.

TArda Testudo cum auibus cupiebat cursum:
Altè vero ipsam Aquila corripiens
Deiecit in saxa, & quassans. Vix vero dixit,
Melior grauitas mihi, quam auium velocitas.

ADFABVLATIO.

Impossibile non amare possibile cupere.

Λέων καὶ Κερδὼ καὶ Γέρανος.

Ἄγρην Γεράνῳ μέριζε καὶ Κερδοῖ Λέων.
Πρώτην μὲν μοῖραν, εἶπεν, ὡς νομεὺς ἔχω.
Τὴν δευτέραν δέ, φησί, ὡς ἄναξ φέρω.
Τρίτη δ' ὅς ἂν ψαύσειεν ἔργῳ μανθάνοι.

Ἐπιμύθιον.

Ἀνίσοις κοινωνίαν φυλάττεσθαι.

Leo Vulpes & Grus.

PRædam Grui partiebatur & Vulpi Leo.
Prímam verò partem, dixit, vt partitor habeo.
Secundam autem, ait, vt Rex aufero.
Tertiam si quis attigerit, reipsa discat.

ADFABVLATIO.

Inæqualium communionem vitare.

Πτῶκες καὶ Βάτραχος. 10



Θανεῖν ἔθεντο πτῶκες, ἢ ζῆν ἐν βίῳ
Ὡς οὐ τελεῖς ὡς ὄντες ἀδρανεῖς ἄγαν.
Λίμνῃ δ' ἑαυτοὺς ἐμβαλεῖν ἠπειγμένοι
Ἔχον φυγόντα βατράχῳ θάρσος μέγα.

Ἐπιμύθιον.

Μὴ λυπ-

Μὴ ἀπογινώσκειν.

Lepores & Rana.

Mori decreuerãt Lepores, potius quã viuere in vita,
Cum ſint ita viles & imbecilles valde
In lacum ſe præcipitare cum ſtatuiſſent
Habuere à fugiente Rana audaciam magnam.

ADFABVLATIO.

Non deſperandum.

Δρῦς. 11



Δρῦν ἦγε ῥεῖθρον πνεύμασι βεβλημμένην,
Αὐτὴ δ' ἄλεξι καὶ δόναξι πεύθετο,
Ιῶς εἰσὶν ὀρθοί, πνεύμασι δουλόμεθα.
Ιτῶσις ἐκείνων ἐστὶν ἡμῶν ἡ στάσις.

Ἐπιμύθιον.

Βίᾳ καιροῦ μὴ ἀνθίστασθαι.

Quercus.

QVercum trahebat fluentem ventis deiectam.
Illa vero alicas & calamos rogabat,
Quomodo eſſent recti? ventis ſeruimus
Caſus illorum eſt, noſtra eſt ſtatio.

ADFABVLATIO.

Vi temporis non reſiſtendum.

PHÆDRI AVGVSTI LIberti fabularum Æsopicarum libri.

DE PHÆDRO TESTIMONIA Martialis Epigram. 20. Lib. 3.

Dic Musa quid agat Canius meus Rufus?
Vtrumne chartis tradit ille victuris,
Legenda temporum acta Claudianorum?
An quæ Neroni falsus astruit scriptor?
An æmulatur improbi iocos PHÆDRI?

Auienus in Præfatione fabularum suarum Æsopicarum ad Theodosium.

HVius materiæ ducem nobis Æsopum noueris, qui responso Apollinis monitus ridicula orsus est vt legenda firmaret. Verum has pro exemplo Fabulas & Socrates diuinis operibus indidit, & poemati suo Flaccus aptauit, quod in se, sub iocorum communium specie, vitæ argumenta contineant: quas Græcis iambis Babrius repetens in duo volumina coartauit; PHÆDRVS etiam partem aliquam quinque in libellos resoluit. De his ego vsque ad 42. in vnum redactas fabulas dedi, quas rudi Latinitate compositas elegis sum explicare conatus.

Phædr

PHÆDRI AVG. LIBERTI Fabularum Æsopicarum

LIBER I.

ÆSopus auctor quam materiam repperit,
Hanc ego poliui versibus senariis.
Duplex libellis os est, quod risum mouet,
Et quod prudentis vitam consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit
Quod arbores loquantur, non tantum feræ,
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

Lupus & Agnus. I



AD riuum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulsi: superior stabat Lupus.
Longeque inferior Agnus. tunc fauce improba
Latro incitatus iurgii causam intulit.
Qur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam

Iſtam bibenti? laniger contra timens:
Qui poſſum quæſo facere quod quereris, Lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes, ait, maledixiſti mihi.
Reſpondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat iniuſta nece.
Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

Ranæ regem petierunt.



Athenæ cum florerent æquis legibus,
Procax libertas ciuitatem miſcuit,
Frenumque ſoluit priſtinum licentia.
** Hinc conſpiratis factionum partibus* [*v.c. hic
Arcem tyrannus occupat Piſiſtratus.
Cum triſtem ſeruitutem flerent Attici.
Non quia crudelis ille, ſed quoniam graue
Omnino inſuetis onus & cœpiſſent queri;
Aeſopus talem tum fabellam retulit.

Ranæ

RAnæ vagantes liberis paludibus,
Clamore magno Regem petiere à Ioue,
Qui diſſolutos mores vt compeſceret.
Pater Deorum riſit, atque illis dedit
Paruum tigillum, miſſum quod ſubito vadis;
Motu ſonoque terruit pauidum genus.
Hoc merſum limo cum iaceret diutius,
Forte vna tacite profert è ſtagno caput,
Et explorato rege cunctas euocat.
Illæ timore poſito certatim adnatant,
Lignumque ſuper turba petulans inſilit;
Quod cum inquinaſſent omni contumelia,
Alium rogantes regem miſere ad Iouem,
Inutilis quoniam eſſet qui fuerat datus.
Tum miſit illis hydrum, qui dente aſpero
Corripere cœpit ſingulas. fruſtra necem
Fugitant inertes, vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem
Adflictis vt ſuccurrat. Tunc contra Deus;
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque ciues ait,
Hoc ſuſtinete, maius ne veniat malum.

Graculus ſuperbus & Pauo. 3

Ne gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Aeſopus nobis hoc exemplum prodidit.

TVmens inani Graculus ſuperbia,
Pennas Pauoni quæ deciderant, ſuſtulit,
Seque exornauit; deinde contemnens ſuos,
Immiſcuit ſe pauonum formoſo gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt aui
Fugantque roſtris. male multatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus,
A quo repulſus triſtem ſuſtinuit * notam. [*v.c. *notitiam*

Tum quidam ex illis quos prius despexerat:
Contentus nostris si fuisses sedibus,
Et quod natura dederat, voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

Canis per fluuium carnem ferens. 4



Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.

CAnis per flumen carnem dum ferret natans,
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:
Aliamque prædam ab alio ferri putans,
Eripere voluit: verum decepta auiditas,
Et quem tenebat ore dimisit cibum,
Nec quem petebat adeo potuit attingere.

Vacca & Capella Ouis & Leo. 5

Nunquam est fidelis cum potente societas,
Testatur hac fabella propositum meum.

VAcca & Capella & patiens Ouis iniuriæ
Socii fuere cum Leone in saltibus.

Hi cum



Hi cum cepissent ceruum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo:
Secundam, quia sum fortis tribuetis mihi:
Tum quia plus valeo, me sequetur tertia:
Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

Ranæ ad Solem.

Vicini furis celebres vidit nuptias
Aesopus, & continuo narrare incipit:
VXorem quondam Sol cum vellet ducere,
Clamorem Ranæ sustulere ad sydera.
Conuicio permotus quærit Iupiter
Causam querellæ: quædam tum stagni incola:
Nunc inquit, omnes vnus exurit lacus,
* Cogitque miseras arida sede emori: [*v.c. coget
Quidnam futurum est, si * crearit liberos? [*v.c. cre-aret

Vulpis ad personam tragicam. 7

PErsonam tragicam forte vulpes viderat,
O quanta species, inquit, cerebrum non habet.
Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

Lupus & Gruis. 8

Qui pretium meriti ab improbis desiderat.
*Bis peccat: primum quoniam * indignos adiuuat:*
[*v.c.dignos
Impune abire deinde quia iam non potest.
OS deuoratum fauce cum hæreret Lupi,
Magno dolore victus cœpit singulos
Inlicere pretio, vt illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iureiurando Gruis,
Gulæque credens colli longitudinem
Periculosam fecit medicinam Lupo,
Pro quo cum facto flagitaret præmium:
Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.

Passer ad leporem consiliator. 9

Sibi non cauere, & aliis consilium dare,
Stultum esse paucis ostendamus versibus.
OPpressum ab Aquila fletus edentem graues
Leporem obiurgabat Passer: vbi pernicitas
Nota, inquit, illa est, quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,
Questuque vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modo securus nostra inridebas mala.
Simili querella fata deploras tua.

Lupus

Lupus & Vulpis iudice Simio. 10



Quicunque turpi fraude semel innotuit
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc adtestatur breuis Aesopi fabula.

LVpus arguebat Vulpem * furti crimine, [*v c. forti
Negabat illa se esse culpæ proximam.
Tunc iudex inter illos sedit Simius:
Vterque causam cum perorassent suam,
Dixisse fertur Simius * sententiam: [*V.c. sentiam
Tu non videris perdidisse quod petis,
Te credo subripuisse quod pulchre negas.

Asinus & Leo venantes. 11

Virtutis expers verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit, notis est derisui.

VEnari Asello comite, cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit simul
Vt insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse vt exciperet, hic auriculas

Clamore,



Clamore, ſubito tollit totis viribus,
Nouoque turbat beſtias miraculo:
Quæ dum pauentes, exitus notos petunt,
Leonis adficiuntur horrendo impetu.
Qui poſtquam cæde feſſus eſt, Aſinum euocat,
Iubetque vocem premere: tunc ille inſolens,
Qualis tibi videtur opera hæc vocis meæ?
Inſignis, inquit, ſic vt niſi noſſem tuum
Animum genuſque, ſimili fuiſſem in metu.

Ceruus ad Fontem. 12

Laudatis vtiliora quæ temp ſeris
Sæpe inueniri, hæc erit narratio.

AD fontem Ceruus cum bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam.
Ibi dum ramoſa, mirans, laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum ſubito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & curſu leui
Canes eluſit: ſilua tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus

Lacerari

Lacerari cœpit morſibus ſæuis canum.
Tunc moriens, vocem hanc edidiſſe dicitur:
O me infelicem, qui nunc demum intelligo
Vt illa mihi profuerint quæ deſpexeram,
Et quæ laudaram, quantum luctus habuerint.

Vulpis & Coruus. 13



Qui ſe laudari gaudet verbis ſubdolis,
Fere dat pœnas turpi pœnitentia.

CVm de feneſtra Coruus raptum caſeum
Comeſſe vellet, celſa reſidens arbore,
Hunc vidit Vulpes, dehinc ſic cœpit loqui:
O qui tuarum, Corue, pennarum eſt nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille ſtultus, dum vult vocem oſtendere,
Emiſit ore caſeum, quem celeriter
Doloſa Vulpes auidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corui deceptus ſtupor.
Hac re probatur quantum ingenium valet,
*Virtute & * ſemper prævalet ſapientia.* *in v.c. deeſt.

Ex Suio

Ex Sutore medicus. 14

MAlus cum Sutor inopia deperditus
Medicinam ignoto facere cœpiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis adquiſiuit ſibi famam ſtrophis.
Hic cum iaceret morbo confectus graui,
Rex vrbis eius experiendi gratia,
Scyphum popoſcit, fuſa dein ſimulans aqua
Miſcere antidoto illius ſe toxicum,
Bibere iuſſit ipſum poſito præmio.
Timore mortis ille tum confeſſus eſt,
Non artis vlla medicum ſe prudentia.
Verum ſtupore vulgi factum nobilem.
Rex aduocata concione hæc addidit:
Quantæ putatis eſſe vos dementiæ,
Qui capita veſtra non dubitatis credere
Cui calceandos nemo commiſit pedes?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim,
Quorum ſtultitia quæſtus imprudentia eſt.

Aſinus ad ſenem paſtorem. 15

*In principatu commutando *ſæpius* [*in v. c. additum ciuium ſæpius
Nil præter domini mores mutant pauperes.
Id eſſe verum parua hæc fabella indicat.

ASellum in prato timidus paſcebat ſenex:
Is hoſtium clamore ſubito territus
Suadebat Aſino fugere, ne poſſent capi.
At ille lentus, quæſo num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negauit: Ergo, quid refert mea
Cui ſeruiam, clitellas dum portem meas?

Ouis

Ouis Ceruus & Lupus. 16



Fraudator homines cum auocat sponsore improbo,
Non rem expedire, sed mala videre * *expetit* [*v.c.expedit

OVem rogabat Ceruus modium tritici
Lupo sponsore: at illa præmetuens dolum
Rapere atque abire semper adsueuit Lupus,
Tu de conspectu fugere veloci impetu;
Vbi vos requiram cum dies aduenerit?

Ouis, Canis & Lupus. 17

Solent mendaces luere pœnas maleficii.

CAlumniator ab Oue cum peteret Canis
Quem commendasse panem se contenderet,
Lupus citatus testis, non vnum modo
Deberi dixit, verum affirmauit decem.
Ouis damnata falso testimonio,
Quod non debeat soluit, post paucos dies

Oui



Ouis iacentem in fouea conſpexit Lupum:
Hæc, inquit, merces fraudis, à Superis datur.

Mulier parturiens. 18

Nemo libenter recolit, qui læſit, locum.

INſtante partu Mulier peractis menſibus,
Humo iacebat flebiles gemitus ciens.
Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet,
Onus naturæ melius quo deponeret:
Minime, inquit, illo poſſe confido loco
Malum finiri, quo conceptum eſt initio.

Canis parturiens. 19

Habent inſidias hominis blanditiæ mali,
Quas vt vitemus, verſus ſubiecti monent.

CAnis parturiens, cum rogaſſet alteram,
Vt fœtum in eius tugurio deponeret,
Facile impetrauit, dein repoſcenti locum,
Preces admouit: tempus exorans breue

Dum fir-



Dum firmiores catulos posset ducere.
Hoc quoque consumpto, flagitare validius
Cubile cœpit: Illa, si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

Canes famelici. 10

Stultum consilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.

COrium depressum in fluuio viderunt Canes:
Id vt comesse extractum possent facilius,
Aquam cœpere bibere: sed rupti prius
Ibi periere, quam quod petierant, contingerent.

Leo senex Aper Taurus & Asinus. 11

Quicumque amisit dignitatem pristinam,
Ignauis est etiam iocus in casu graui.

DEfectus annis & desertus viribus
Leo cum iaceret spiritum extremum trahens:
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicauit ictu veterem iniuriam:



Infeſtus Taurus mox confodit cornibus
Hoſtile corpus. Aſinus vt vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem * exterit. [*v.c.extorxit
At ille expirans: Forteſ indigne tuli
Mihi inſultare, te naturæ dedecus
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

Muſtela & homo. 22

MVſtela ab Homine prenſa, cum inſtantem necem
Effugere vellet: quæſo, inquit, parce mihi
Quæ tibi mihi moleſtis muribus purgo domum.
Reſpondit ille: facerem, ſi cauſa mea
Gratum eſſet, & dediſſem veniam ſupplici:
Nunc quia laboras vt fruaris reliquiis,
Quæ ſunt roſuri, ſimul & ipſos deuores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus, improbam leto dedit.

Hoc in ſe dictum debent illi agnoſcere,
Quorum priuata ſeruit vtilitas ſibi,
Et meritum inane iactant imprudentibus.

Canis

Canis fidelis. 23



Repente liberalis stultis gratus est,
Verum peritis irritos tendit dolos.

NOcturnus cum fur panem misisset Cani,
Obiecto tentans an cibo posset capi:
Heus, inquit linguam vis meam præcludere,
Ne latrem pro re domini: multum falleris.
Namque ista subita me iubet benignitas
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

Rana rupta & Bos. 24

Inops potentem dum vult imitari, perit.

IN prato quodam Rana conspexit Bouem,
Et tacta inuidia tantæ magnitudinis,
Rugosam inflauit pellem: tum natos suos
Interrogauit, an Boue esset latior.
Illi negarunt rursus intendit cutem
Maiore nisu: & simili quæsiuit modo,
Quis maior esset; illi dixerunt, Bouem.



Nouissime indignata, dum vult validius
Inflare sese, rupto iacuit corpore.

Canes & Crocodillus. 25

Consilia qui dant praua cautis hominibus,
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.

CAnes currentes bibere in Nilo flumine,
A * Crocodillis ne rapiantur, traditum est.
[*V.c. Corcodrilus
Igitur cum currens bibere cœpisset canis,
Sic Crocodillus quamlibet lambe otio,
Accede, pota leniter, & noli dolos,
Inquit, vereri: at ille: facerem me hercule
Nisi esse scirem carnis te cupidum meæ.

Vulpis & Ciconia. 26

Nulli nocendum: si quis vero laserit,
Multandum simili iure, fabella ammonet.

VVlpis ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior inuitasse, & ei liquidam in patena
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo

Gustare



Gustare esuriens potuerit Ciconia:
Quæ vulpem cum reuocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit huic rostrum inserem
Satiatur ipse & torquet conuiuam fame:
Quæ cum lagenæ frustra collum lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet æquo animo pati

Canis & Thesaurus & Vulturius. 27

Hac res auaris esse conueniens potest,
Et qui humiles nati dici locupletes student.

HVmana effodiens ossa, thesaurum Canis
Inuenit, & * violauit quia Manes Deos, [*v.c. violat
Iniecta est illi diuitiarum cupiditas,
Pœnas vt sanctæ religioni penderet,
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi
Fame est consumptus: quem stans Vulturius super
Fertur locutus; ò Canis merito iaces,
Qui concupisti subito regales opes,
Triuio conceptus, & educatus stercore.

Vulpis & Aquila. 28



Quamuis sublimes debent humiles metuere:
Vindicta docili quia patet solertia.

VVlpinos catulos Aquila quondam sustulit
Nidoque posuit pullis escam vt carperent:
Hanc persecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miseræ luctum importaret sibi.
Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila vt periculo mortis eriperet suos
Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

Asinus irridens Aprum. 29

Plerumque stulti risum dum captant leuem,
Graui destringunt alios contumelia,
Et sibi nocivum concitant periculum.




ASellus Apro cum fuiſſet obuius:
Salue, inquit, frater: ille indignans, repudiat
Officium, & quærit cur ſic mentiri velit.
Aſinus dimiſſo pene: Similem ſi negas
Tibi me eſſe, certe ſimile eſt hoc roſtro tuo.
Aper cum vellet facere generoſum impetum,
Repreſſit iram: & facilis vindicta eſt mihi:
Sed inquinari nolo ignauo ſanguine.

Ranæ metuentes Taurorum prælia. 30

Humiles laborant, vbi potentes diſſident.

RAna in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu quanta nobis inſtat pernicies! ait,
Inter rogata ab alia, cur hoc diceret,
De principatu cum illi certarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boues:
Eſt ratio ſeparata, ait, ac diuerſum genus.
Expulſus regno nemoris qui profugerit,
Paludis in ſecreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede:
Caput ita ad noſtrum furor illorum pertinet.

Miluius & Columbæ, 31



Qui se committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium inuenit.

COlumbæ sæpe cum fugissent Miluium,
Et celeritate pennæ vitassent necem,
Consilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius æuum ducitis
Quam regem me creatis icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem iniuria?
Illæ credentes, tradunt sese Miluio,
Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas
Et exercere imperium sæuis vnguibus.
Tunc de reliquis vna: Merito plectimur.

PHÆDRI AVG. LIBERTI
Lib. Primus Explicit.

Incipit

INCIPIT LIB. SECVNdus feliciter.

AVCTOR.

EXEMPLIS *continetur Aesopi genus,*
Nec aliud quicquam per fabellas quaritur,
Quam corrigatur error vt mortalium,
Acuatque sese diligens industria.
Quicumque fuerit ergo narrandi locus.
Dum capiat aurem & seruet propositum suum,
Re commendatur non auctoris nomine.
Equidem omni cura morem seruabo senis.
Sed si libuerit aliquid interponere
Dictorum, sensus vt delectet varietas,
Bonas in partes, lector, accipias velim.
Ita sic rependet illi breuitas gratiam
Cuius verbosa zescit commendatio.

Iuuencus, Leo & Prædator. 32

Attende cur negare cupidis debeas;
Modestis etiam offerre quod non petierint.
SVper Iuuencum stabat deiectum Leo:
Prædator interuenit partem postulans:
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere:
Et improbum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,
Feroque viso rettulit retro pedem.
Cui placidus ille: non est quod timeas, ait.
Et quæ debetur pars tuæ modestiæ
Audacter tolle tunc diuiso tergore,
Siluas petiuit, homini vt accessum daret.
Exemplum egregium prorsus & laudabile.
Verum est auiditas diues, & pauper pudor:

Anus diligens iuuenem, item Puella. 33



A feminis vtcumque ſpoliari viros
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.

ÆTatis mediæ cuidam, mulier non rudis
Tegebat annos celans elegantia.
Animoſque eiuſdem pulchra iuuenis ceperat.
Ambæ videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cœpere inuicem.
Qui ſe putaret pingi cura mulierum
Caluus repente factus eſt, nam funditus
Canos puella, nigros anus euellerat.

Æſopus ad quendam de ſucceſſu improborum. 34

LAceratus quidam morſu vehementis Canis,
Tinctum cruore panem immiſit malefico,
Audierat eſſe quod remedium vulneris.
Tunc ſic Æſopus; noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne nos viuos deuorent,
Cum ſcierint eſſe tale culpæ præmium.
Succeſſus improborum plures allicit.

Aquila,

Aquila, feles & aper. 35

AQuila in ſublimi quercu nidum fecerat:
Feles cauernam nancta, in media pepererat:
Sus nemoris cultrix fœtum ad imam poſuerat.
Tum fortuitum feles contubernium
Fraude & ſceleſta ſic euertit malitia.
Ad nidum ſcandit volucris: pernicies, ait,
Tibi paratur, forſan & miſeræ mihi.
Nam fodere terram quod vides cotidie
Aprum inſidioſum, quercum vult euertere,
Vt noſtram in plano facile progeniem opprimat:
Terrore effuſo & perturbatis ſenſibus,
Direpit ad cubile ſetoſæ ſuis,
Magno, inquit, in periculo ſunt nati tui.
Nam ſimul exieris paſtum cum tenero grege,
Aquila eſt parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore poſtquam compleuit locum
Doloſa tota condidit ſeſe cauo.
Inde euagata noctu ſuſpenſo pede,
Vbi eſca ſe repleuit & prolem ſuam,
Pauorem ſimulans proſpicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis deſidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inedia ſunt conſumti cum ſuis,
Feliſque catulis largam præbuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis ſæpe concinnet mali
Documentum habere ſtulta credulitas poteſt.

Item Cæſar ad atrienſem. 36

Eſt * *ardelionum quædam Romæ natio* [*v.c.ardalionū
Trepide concurſans, occupata in otio
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi moleſta & aliis odioſiſſima.

Hanc

Hanc emendare, si tamen possum, volo
Vera fabella, pretium est operæ attendere.

CÆsar Tiberius cum petens Neapolim,
In * Misnensem villam venisset suam [*v.c. Misniense
Quæ monte summo posita * Luculli manu, [* v.c. Lucili
Prospectat Siculum & prospicit Tuscum mare,
Ex alticinctis vnus Atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus.
Perambulante læta domino viridiaria,
Alueolo cœpit ligneo conspargere
Humum æstuantem, iactans officium come:
Sed deridetur: inde notis flexibus
Præcurrit illum in xistum, sedans puluerem.
Agnoscit hominem * Cæsar, remque intelligit.
[*v.c. Cæsaremque
Id vt putauit esse nescio quid boni:
Heus, inquit dominus, illi enimuero adsilit
Donationis alacer certæ gaudio:
Tum sic locuta est tanti maiestas Ducis:
Nec multum egisti, & opera nequicquam perit,
Multo maiores alapæ mecum * veneunt. [*v.c. venerũt

Aquila & Cornix, 37

Contra potentes nemo est munitus satis:
Si vero accessit consiliator maleficus,
Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.

AQuila in sublime sustulit testudinem,
Quæ cum abdidisset cornea corpus domo,
Nec vllo pacto lædi posset condita,
Venit per auras Cornix, & propter volans:
Opimam sane prædam rapuisti vnguibus,
Sed nisi monstraro quid sit faciendum tibi,



Graui nequicquam te laſſabis pondere.
Promiſſa parte, ſuadet vt ſcopulum ſuper
Altis ab aſtris duram inlidat corticem
Qua comminuta facile veſcatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul & magiſtræ large diuiſit dapem
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit triſti nece.

Muli duo & vectores. 38

MVli grauati ſarcinis ibant duo;
Vnus ferebat fiſcos cum pecunia:
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.
Ille onere diues, celſa ceruice eminens,
Clarumque collo iactans tintinabulum:
Comes quieto ſequitur & placido gradu.
Subito latrones ex inſidiis aduolant,
Interque cædem ferro mulum tonſitant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur caſus cum fleret ſuos,

Equidem

Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo,
Nam nil amiſi, nec ſum læſus vulnere.
Hoc argumento tuta eſt hominum tenuitas,
Magna periclo ſunt opes obnoxia.

Ceruus ad boues. 39

CEruus nemoroſis excitatus latibulis,
Vt venatorum fugeret inſtantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et oportuno ſe bouili condidit.
Hic bos latenti: quidnam voluiſti tibi
Infelix vltro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto ſpiritum commiſeris.
At ille ſupplex: Vos modo, inquit, parcite,
Occaſione rurſus erumpam data.
Spatium diei, noctis excipiunt vices,
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt ſubinde & redeunt omnes ruſtici,
Nemo animaduertit: tranſit etiam villicus,
Nec ille quicquam ſentit: tum gaudens ferus
Bobus quietis agere cœpit gratias,
Hoſpitium aduerſo quod præſtiterint tempore,
Reſpondit vnus: ſaluum te cupimus quidem,
Sed ille qui oculos centum habet, ſi venerit,
Magno in periclo vita vertetur tua.
Hæc inter, ipſe dominus à cena redit:
Et quia corruptos viderat nuper * boues, [* *v. c. boues nuper*
Accedit ad præſepe: cur frondis parum eſt;
Stramenta deſunt? tollere hæc aranea
Quantum eſt laboris? dum ſcrutatur ſingula
Cerui quoque alta eſt conſpicatus cornua,
Quem conuocata iubet occidi familia,
Prædamque tollit. *Hac ſignificat fabula,*
Dominum videre plurimum in rebus ſuis.

Auctor.

A V C T O R.

ÆSopo ingentem statuam posuere Attici
Seruulumque collocarunt æterna in basi,
**Patere honoris scirent vt cuncti viam,* [*v.c.patere homini
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.

* * *

Quoniam occuparat alter ne primus foret,
Nec solus esset, studii quod superfuit.
Nec hac inuidia, verum est æmulatio.
*Quod si labori *fauerit Latium meo,* [*v.c.faueret
Plures habebit quos opponat Græcia.
*Si *liuor obtrectare curam voluerit,* [*v.c si labor oblectare
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querellam submouet felicitas,
Sin autem ab illis doctus occurrit labor,
Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quicquam possunt nisi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

INCIPIT LIB. III.
Phædrus ad Eutychum.

PHÆDRI *libellos legere si desideras,*
Vaces oportet, Eutyche, à negotiis,
Vt liber animus sentiat vim carminis.
*Verum *inquis tanti non est ingenium tuum.* [*v.c.inquit
Momentum vt hora pereat officii mei.
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,

Quod

Quod occupatis auribus non conuenit.
Fortaſſe dices: aliqua venient feriæ
Quæ me ſoluto pectore ad ſtudium vocent.
Legeſne quæſo potius viles nænias
Impendas curam quàm rei domeſticæ,
Reddas amicis tempora, vxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
*Vt ad * ſuetam fortius * perſtes vicem* [*v.c. vt ad ſuetam
[* f. præſtes
*Mutandum tibi propoſitum eſt * & vitæ genus,* [*v.c. vitæ genus
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego quem Pierio mater enixa eſt iugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſyne Ioui
** Fœcunda nouies artium peperit chorum,* [*v.c. facunda
Quamuis in ipſa natus ſim pene ſchola,
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Et laude inuita in hanc vitam incubuerim,
Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia,
Docto labori dulce præponens lucrum?
Sed iam quodcunque fuerit (vt dixit Sinon
Ad regem cum Dardaniæ perductus foret)
Librum exarabo tertium Aeſopi ſtilo,
Honori & meritis dedicans illum tuis:
Quem ſi leges, lætabor: ſin autem minus,
Habebunt certe quo ſe oblectent poſteri.
Nunc Fabularum cur ſit inuentum genus
Breui docebo Seruitus obnoxia
Quia quæ volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
**Calumniamque fictis eluſit iocis:* [*v.c. calumniam quæ fiet ſcelus & Iocis
Ego illius porro ſemita feci viam,
Et cogitaui plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.

Quod

Quod si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delinirem remediis.
Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se quod erit commune omnium,
Stulte nudabit animi conscientiam:
Huic excusatum me velim nihilominus.
Neque enim notare singulos mens est mihi.
Verum ipsam vitam & mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet forsan aliquis grauem
**Si Phryx Aesopus potuit, Ancharsis * Scytha* [*v.c. Frige fuisse Æsopus. [*v.c. Anacharsæ Scythæ
Aeternam famam condere ingenio suo:
*Ego litterata qui sum propior * Graciæ,* [*v.c. proprior Græ:
Cur somno inerti deseram patriæ decus?
Treissa cum gens numeret auctores suos,
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo
Qui saxa cantu mouit & domuit feras,
Herebique tenuit impetus dulci mora
Ergo hinc abesto, liuor, ne frustra gemas:
Quoniam mihi solemnis debetur gloria.
Induxi te ad legendum: sincerum mihi
Candore noto, reddas iudicium peto.

Anus ad amphoram. 40

ANus iacere vidit epotam amphoram
Adhuc Falerna fece & testa nobili
Odorem quæ iocundum late sspargeret:
Hunc postquam totis * auida traxit naribus:
[**v.c. auita*
O suauis anima qualem te dicam bonam
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiæ?
Hoc quo pertineat dicet qui me nouerit.

Panthera & Paſtores.

Solet à deſpectis par referri gratia.

PAnthera imprudens olim in foueam decidit,
Videre agreſtes: alii fuſtes congerunt.
Alii onerant ſaxis: quidam contra miſeriti,
Perituræ quippe quamuis nemo læderet,
Miſere panem, vt ſuſtineret ſpiritum.
Nox inſecuta eſt, abeunt ſecuri domum,
Quaſi inuenturi mortuam poſtridie:
At illa vires vt refecit languidas,
Veloci ſaltu fouea ſeſe liberat
Et in cubile concito properat gradu.
Paucis diebus interpoſitis prouolat,
Pecus trucidat, ipſos paſtores necat,
Et cuncta vaſtans ſæuit irato impetu.
Tum ſibi timentes, qui feræ pepercerant.
Damnum hoc recuſant, tantum * pro vita rogant:
[* V. c *prompta rogant*
Et illa Memini qui me ſaxo *petierint, [**v.c.petierat*
Quis panem dederit: vos timere abſiſtite,
Illis reuertor hoſtis qui me læſerant.

Æſopus & Ruſticus. 42

Vſu peritus hariolo velocior
*Vulgo * eſſe fertur: cauſa ſed non dicitur,* [*v. c. vulgo cau-
ſa fertur ſed non d.
Noteſcet quæ nunc primum fabella mea.

HAbenti cuidam pecora pepererunt oues
Agnos humano capite; monſtro exterritus
Ad conſulendos currit mærens hariolos.
Hic pertinere ad domini reſpondet caput,
Et auertendum victima periculum,
Ille autem affirmat coniugem eſſe adulteram

Et in-

Et inſitiuos ſignificari liberos;
Sed expiari poſſe maiori hoſtia.
Quid multa? variis diſſident ſententiis,
Hominiſque curam cura maiore aggrauant.
Æſopus ibi ſtans naris emunctæ ſenex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis oſtentum ruſtice,
Vxores, inquit, da tuis paſtoribus.

Lanius & Simius. 43

PEndere ad Lanium quidam vidit Simium
Inter reliquas merces atque obſonia.
Quæſiuit quidnam ſaperet, tum Lanius iocans:
Quale, inquit, caput eſt, talis præſtatur ſapor.
Ridicule magis hoc dictum quam vere æſtimo,
Quando & formoſos ſæpe inueni peſſimos,
Et turpi facie multos cognoui optimos.

Æſopus & Petulans. 44

Succeſſus ad perniciem multos deuocat.* [*v.c. ad p. ſæpe multos

ÆSopo quidam petulans lapidem impegerat
Tanto, inquit, melior. aſſem deinde illi dedit
Sic proſecutus, Plus non habeo me hercule,
Sed vnde accipere poſſis monſtrabo tibi.
Venit ecce diues & potens: huic ſimiliter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Perſuaſus ille, fecit quod monitus fuit.
Sed ſpes fefellit impudentem audaciam,
Comprehenſus namque pœnas perſoluit cruce.

Muſca & Mula. 45

MVsca in temone sedit & Mulam increpans:
Quam tarda es inquit: non vis citius progredi
Vide ne * dolone collum compungam tibi. [* v.c.dol...
  Vile licet maneat, comprobat ipse tamen.

Grus & Pauo. 15



THreiciam volucrem fertur Iunonius ales
  Communi sociam continuisse cibo.
Namque inter varias fuerat discordia formas,
  Magnaque de facili iurgia lite trahunt:
Quod sibi multimodo fulgerent membra decore,
  Cœruleam facerent liuida terga gruem.
Et simul erectæ circumdans tegmina caudæ
  Sparserat arcanum rursus in astra iubar.
Illa licet nullo pennarum certet honore,
  His tamen insultans vocibus vsa datur:
Quamuis innumerus plumas variauerit ordo,
  Mersus humi semper florida terga geris.

Aſt ego deformi ſublimis in aere penna
  Proxima ſyderibus, numinibuſque feror.
Si quadam virtute nites ne reſpue quemquam,
  Ex alia quadam forſan & ipſe nitet.

Quercus & Hirumdo. 16



MOntibus è ſummis radicitus eruta quercus
  Decidit, inſani turbine victa Noti.
Quam tumidis ſubter decurrens aluèus vndis
  Suſcipit, & fluuio præcipitante rapit.
Verum, vbi diuerſis impellitur ardua ripis,
  In fragiles calamos, grande reſedit onus.
Tunc ſic exiguo connectens ceſpite ramos,
  Miratur liquidis quod ſtet arundo vadis.
Se quoque tam vaſto necdum conſiſtere trunco,
  Aſt illam tenui cortice ferre minas.
Stridula mox blando reſpondens canna ſuſurro,
  Seque magis tutam debilitate docet
Tu rapidos, inquit, ventos, ſæuaſque procellas
  Deſpicis, & totis viribus acta ruis.
Aſt ego ſurgentes paulatim demoror Auſtros,

Et quam-

Et quamuis leuibus prouida cedo Notis.
In tua præruptus offendit robora nimbus,
Motibus aura meis ludificata perit.
Hæc nos dicta monent, magnis obsistere frustra,
Paulatimque truces exsuperare minas.

Venator & Tigris. 17

VEnator iaculis haud irrita vulnera torquens
Turbabat rapidas per sua lustra feras.
Tum pauidis audax cupiens succurrere Tigris,
Verbere commotas iussit adesse minas.
Ille tamen solito contorquens tela lacerto,
Nunc tibi qualis eram nuncius iste refert.
Et simul emissum transegit vulnera ferrum,
Perstrinxitque citos hasta cruenta pedes.
Molliter adfixum traheret quum saucia telum,
A trepida fertur vulpe retenta diu.
Dic quis ille foret, qui talia vulnera ferret,
Aut vbinam iaculum delituisset agens.
Illa gemens, fractoque loqui vix murmure cœpit,
(Nam solitas voces ira, dolorque rapit:)
Nulla quidem medio conuenit in aggere forma,
Quæque oculis olim sit repetenda meis:
Sed cruor & validis in nos directa lacertis
Ostendunt aliquem tela fuisse virum.
Bruta licet soleant animalia iure timeri:
Omnibus est illis plus metuendus homo.

Iuuenci & Leo. 18

QVattuor immensis quondam per prata iuuencis
Fertur amicitiæ tanta fuisse fides,
Vt simul emissos nullus diuelleret error,
Rursus & è pastu turba rediret ouans
Hos quoque collatis inter se cornibus, ingens



Dicitur in syluis pertimuisse Leo,
Dum metus oblatam prohibet tentare rapinam,
Et coniuratos horret adire boues.
Sed quamuis audax, factisque immanior esset.
Tantorum solus viribus impar erat.
Protinus aggreditur prauis insistere verbis
Collisum cupiens dissociare pecus.
Sed postquam dictis tauros disiunxit acerbis,
Inuasit miserum, diripuitque gregem.
Tum quidam ex ipsis, vitam seruare quietam
Qui cupit ex nostra discere morte potest:
Neue cito admotas verbis fallacibus aureis
Impleat, aut veterem deserat ante fidem.

Dumus & Abies. 19

HOrrentes dumos abies pulcherrima risit,
Quum facerent formæ iurgia magna suæ,
Indignum referens cunctis certamen haberi,
Quos meritis nullus consociaret honos.
Nam mihi deductum surgens in nubila corpus,
Verticis erectas tollit in astra comas.

Puppibus

Puppibus & patulis media cum ſede locamur
In me ſuſpenſos explicat aura ſinus.
At tibi deformem quòd dant ſpineta figuram,
Deſpectum cuncti præteriere viri.
Ille refert, nunc læta quidem bona ſola fateris,
Et noſtris frueris imperioſa malis.
Sed quum pulchra minax ſuccidet membra ſecuris,
Quam velles ſpinas tunc habuiſſe meas!
Nemo ſuæ carnis nimium lætetur honore
Ne vilis factus poſt ſua damna gemat.

Piſcator & Piſcis. 20



PIſcator ſolitus prædam ſuſpendere ſeta
Exigui piſcis vile trahebat onus.
Sed poſtquam ſuperas captum perduxit ad auras,
Atque auido fixum vulnus ab ore tulit:
Parce, precor ſupplex, lacrymis ita dixit obortis,
Nam quanta ex noſtro corpore damna feres?
Nunc me ſaxoſis genitrix fœcunda ſub antris
Fudit, & in propriis ludere iuſſit aquis.
Tolle minas, tenerumque ruis ſine creſcere menſis,

Hæc tibi me rurſum littoris ora dabit.
Protinus immenſi depaſtus cœrula ponti
Pinguior ad calamum ſponte recurro tuum.
Ille nefas captum referens abſoluere piſcem,
Difficiles queritur caſibus eſſe vices.
Nam miſerum eſt, inquit, præſentem amittere prædã
Stultius & rurſum vota diurna ſequi.
Incerta pro ſpe non munera certa relinque,
Ne rurſus quæras, forte nec inuenias.

Ruſticus & Auis. 21



PAruula progeniem terræ mandauerat ales
Qua ſtabat viridi ceſpite flaua ſeges:
Ruſticus hanc fragili cupiens decerpere culmo,
Vicinam ſupplex forte petebat opem:
Sed vox implumes turbauit credula nidos,
Suaſerat & laribus continuare fugam.
Cautior hos remeans prohibet diſcedere mater:
Nam quid ab externis perficietur, ait?
Ille iterum caris operam mandauit amicis,
At genitrix rurſum tutior inde manet.

Sed

Sed postquam curuas dominum comprende... falces,
  Frugibus & veram sensit adesse manum.
Nunc, ait, ô miseri, dilecta relinquite rura,
  Quum spem de propriis viribus ille petit.

Inuidus & Auarus. 22

IVpiter ambiguas hominum prædiscere mentes
  Ad terras Phœbum misit ab arce poli.
Tunc duo diuersis poscebaet munera votis,
  Namque alter cupidus, inuidus alter erat.
His sese medium Titan scrutatus vtrumque
  Obtulit, & precibus vt peteretur, ait:
Præstandi facilis: nam quæ sperauerit vnus
  Protinus hæc alter congeminata feret.
Sed cui longa iecur nequeat satiare cupido,
  Distulit admotas in noua damna preces.
Spem sibi confidens alieno crescere voto,
  Seque ratus solum munera ferre duo.
Ille vbi captantem socium sua præmia vidit,
  Supplicium proprii corporis optat, ouans,
Nam petit extinctus vt lumine degeret vno.
  Alter vt hoc duplicans viuat vtroque carens.
Tunc sortem sapiens humanam risit Apollo,
  Inuidiæque malum rettulit ipse Ioui,
Qui dum prouentis aliorum gaudet iniquis
  Lætior infelix & sua damna cupit.

Statuarius. 23

VEnditor insignem referens de marmore Bacchũ
  Expositum pretio fecerat esse Deum.
Nobilis hunc quidam, funesta in sede sepulchri
  Mercari cupiens compositurus erat.
Alter adoratis vt ferret munera templis,
  Redderet & sacro debita vota loco.

Nunc, ait, ambiguum facies de mercibus omen,
Quum ſpes in pretium munera diſpar agit.
Et me defunctis ſeu malis tradere diuis,
Siue decus buſti, ſeu velis eſſe deum.
Subdita namque tibi eſt magni reuerentia facti,
Atque eadem retines funera noſtra manu.
Conuenit hoc illis quibus eſt permiſſa poteſtas,
An præſtare magis ſeu nocuiſſe velint.

Venator & Leo. 24

CErtamen longa protractum lite gerebant
Venator quondam, nobilis, atque Leo.
Hi quum perpetuum cuperent in iurgia finem,
Edita continuò fortè ſepulchra vident.
Illic docta manus flectentem colla Leonem
Fecerat in gremio procubuiſſe viri.
Scilicet adfirmans pictura teſte ſuperbum
Se fieri, extinctam nam docet eſſe feram.
Ille graues oculos ad inania ſigna retorquens
Infremit & rabido pectore verba dedit;
Irrita te generis ſubiit fiducia veſtri,
Artificis teſtem ſi cupis eſſe manum.
Quòd ſi noſtra nouum caperet ſolertia ſenſum,
Scalperet vt docili pollice ſaxa Leo.
Tunc hominē aſpiceres oppreſſum murmure magno,
Conderet vt rabidis vltima fata genis.

Puer & Fur. 25

FLens puer extremam putei conſedit ad oram,
Vana ſuperuacuis rictibus ora trahens.
Callidus hunc lacrymis poſtquam fur vidit obortis,
Quænam triſtitiæ ſit modò cauſa rogat.

Ille



Ille ſibi abrupti fingens diſcrimina funis,
Atque auri queritur deſiluiſſe cadum.
Nec mora, ſollicitã traxit manus improba mentem
Exutus putei protinus ima petit.
Paruulus exiguo circumdans pallia collo
Sentibus immerſus delituiſſe datur.
Sed poſt fallacis ſuſcepta pericula voti
Triſtior amiſſa veſte reſedit humi.
Dicitur his ſolers vocem rupiſſe querelis,
Et gemitu ſummos ſollicitaſſe Deos.
Perdita, quiſquis erit, poſthac bene pallia credat,
Qui putat in liquidis quod natet vrna vadis.
Nemo nimis cupidè ſic res deſideret vllas,
Ne plus cum cupiat, perdat & id, quod habet.

Leo & Capella. 26

VIderat excelſa paſcentem rupe capellam,
Comminus eſuriens quum Leo ferret iter.
Et prior, heus, inquit, præruptis ardua ſaxis,
Linque, nec hirſutis paſcua quære iugis.



Sed cytisi croceum per prata virentia florem,
Et glaucas salices & thyma grata pete.
Illa gemens, desiste, precor, fallaciter, inquit,
Securam placidis insimulare dolis.
Vera licet moneas, maiora pericula tollas;
Tu tamen his dictis non facis esse fidem.
Nam quamuis rectis constet sententia verbis,
Suspectam hanc rabidus consiliator habet.
Ne citius blandis cuiusquam credito dictis
Sed si sint fidei, respice quid moneant.

Cornix & Vrna. 27

INgentem sitiens Cornix aspexerat vrnam,
Quæ nimiam fundo continuasset aquam:
Hanc enisa diu planis effundere campis,
Scilicet vt nimiam pelleret inde sitim:
Postquam nulla viam virtus dedit, admouet omnes
Indignata noua calliditate dolos:
Nam breuis immersis adcrescens sponte lapillis,
Potandi facilem præbuit vnde viam.



Viribus hæc docuit quàm ſit prudentia maior,
Quæ cœptum volucris explicuiſſet opus.

Ruſticus & Iuuencus. 28



VIncla recuſanti dedignantique iuuenco
Aſpera mordaci ſubdere colla iugo,
Ruſticus obliqua ſuccidens cornua falce,

Credidit

Credidit insanum defremuisse pecus.
Cautus & immenso ceruicem innectit aratro,
Namque erat hic cornu promptior, atque pede:
Scilicet vt longus prohiberet vulnera temo,
Neue ictus faciles vngula sæua daret.
Sed postquam irato detrectans vincula collo,
Immeritum vacuo calce fatigat humum,
Continuò euersam pedibus dispergit arenam
Quam ferus in domini ora sequentis agit.
Tum sic informi squallentes puluere crines
Discutiens, imo pectore victus ait:
Nimirum exemplum naturæ deerat iniquæ,
Qua fieri posset cum ratione nocens.

Satyrus & Viator, 29



HOrrida congestis quum staret bruma pruinis,
Cunctaque durato stringeret arua gelu,
Hæsit in aduersa nimborum mole viator,
Perdita nam prohibet semita ferre gradum.
Hunc nemorum custos fertur miseratus in antro
Exceptum Satyrus continuisse suo.

Quem

Quem ſimul aſpiciens ruris miratur alumnus
Vimque homini tantam protinus eſſe pauet.
Nam gelidos artus vitæ vt reuocaret in vſum,
Adflatas calido ſoluerat ore manus.
Sed quum depulſo cœpiſſet frigore lætus
Hoſpitis eximia ſedulitate frui,
Namque illi agreſtem cupiens oſtendere vitam,
Syluarum referens optima quæque dabat.
Obtulit & calido plenum cratera Lyæo,
Laxet vt infuſus frigida membra tepor.
Ille vbi feruentem labris contingere teſtam
Horruit, algenti rurſus ab ore tulit.
Obſtupuit duplici monſtro perterritus hoſpes,
Et pulſum ſyluis longius ire iubet.
Nolo, ait, vt noſtris vnquam ſucceſſerit antris
Tam diuerſa duo qui ſimul ore ferat.
Qui bene colloquitur coram, ſed poſtea praue,
Hic erit inuiſus; bina quod ore gerat.

Ruſticus & Sus. 36

VAſtantem ſegetes & pinguia culta ruentem
Liquerat abſciſſa ruſticus aure ſuem,
Vt memor accepti referens monumenta doloris
Vlterius teneris parceret illa ſatis.
Rurſus in excepti deprenſus crimine campi,
Perdidit indultæ perfidus auris onus.
Nec mora, prædictæ ſegeti caput intulit horrens,
Pœna ſed indignum congeminata facit,
Tunc domini captum menſis dedit ille ſuperbis,
In varias epulas plurima fruſta ſecans.
Sed quum conſumpti dominus cor quæreret apri,
Impatiens fertur quod rapuiſſe coquus,
Ruſticus hoc iuſtam verbo compeſcuit iram,
Adfirmans ſtultum non habuiſſe ſuem.
Nam cur membrorum totiens in damna veniſſet,

Atq;

Atque vno totiens posset ab hoste capi?
Hæc illos descripta monent, qui sæpius ausi,
Numquam peccatis abstinuere manus.

Mus & Bos. 31

INgentem fertur mus quondam paruus oberrans,
Ausus ab exiguo lædere dente bouem.
Verum vbi mordaci confecit vulnera rostro,
Tutus in anfractus conditur inde suos.
Ille licet vasta toruum ceruice minetur,
Non tamen iratus, quem petat, ille videt.
Tunc indignantem iusto sermone fatigans
Distulit hostiles calliditate minas.
Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes
Viribus effectum constituere tuis.
Disce tamen breuibus quæ sit fiducia monstris,
Et faciat quidquid paruula turba cupit.

Rusticus & Hercules. 32

HÆrentem luteo sub gurgite rusticus axem
Liquerat, & nexas ad iuga tarda boues,
Frustra dispositis confidens numina votis
Ferre suis rebus, quum resideret, opem.
Cui rector summis Tirynthius infit ab astris,
Nam vocat hunc supplex in sua vota Deum,
Perge laborantes stimulis agitare iuuencos,
Et manibus pigras disce iuuare rotas.
Tunc quoque congressus, maioraque viribus ausus
Fac superos animis conciliare tuis.
Disce tamen pigris non flecti numina votis,
Præsentesque adhibe, quum facis ipse Deos.

Anser & Rusticus. 33

ANser erat cuidam pretioſo germine fœta,
Ouaque quæ nidis aurea ſæpe daret.
Fixerat hanc volucri legem natura ſuperbæ,
Ne liceat pariter munera ferre duo.
Sed dominus cupidum ſperans vaneſcere votum,
Non tulit exoſas in ſua lucra moras.
Grande ratus pretium volucris de morte referre,
Qui tam continuo munere diues erat.
Poſtquam nuda minax egit per viſcera ferrum,
Et vacuum ſolitis fœtibus eſſe videt,
Ingemuit tantæ deceptus crimine fraudis.
Nam pœnam meritis rettulit inde ſuis.
Sic qui cunctaDeos vno malè tempore poſcunt,
Iuſtius his etiam vota diurna negant.

Formica & Cicada. 34



QViſquis torpentem paſſus tranſire iuuentam
Nec timuit vitæ prouidus ante ſuæ.
Confectus ſenio poſtquam grauis adfuit ætas,
Heu fruſtra alterius ſæpe rogauit opem.
Solibus obreptos hyemi formica labores

Diſtulit,

Distulit, & breuibus condidit ante cauis.
Verum vbi candentes suscepit terra pruinas,
Aruaque sub gelido delituere gelu:
Pigra nimis tantos non æquans corpore nimbos
In propriis laribus humida grana legit.
Discolor hanc precibus supplex alimenta rogabat,
Quæ quondam querulo ruperat arua sono.
Se quoque maturas quum tunderet area messes,
Cantibus æstiuos explicuisse dies:
Paruula tunc ridens sic est affata cicadam.
Nam vitam pariter continuare solent:
Mi quoniam summo substantia parta labore est,
Frigoribus mediis otia longa traho.
At tibi saltanti nunc vltima tempora restant,
Cantibus est quoniam vita peracta prior.

Simia & Nati. 35



FAma est quòd geminum profundens simia natum
Diuidit in varias pignora nata vices.
Namque vnum caro genitrix educit amore,
Alteriusque odiis exsaturata tumet.

Cœperit

Cœperit vt fœtam grauior terrere tumultus,
Dissimili natos conditione rapit.
Dilectum manibus vel pectore gestat amico,
Contemptum dorso suscipiente leuat.
Sed quum lassatis nequeat consistere plantis,
Oppositum fugiens sponte relinquit onus.
Alter ab hirsuto circumdans brachia collo
Hæret & inuita cum genitrice fugit.
Mox quoque dilecti succedit in oscula fratris
Seruatus, vetulis vnicus heres auis.
Sic multos neglecta iuuant: atque ordine verso
Spes humiles rursus in meliora refert.

Vitulus & Bos. 36

PVlcer & intacta vitulus ceruice resultans
Scindentem assiduè viderat arua bouem.
Non pudet heus, inquit, longæuo vincula collo
Ferre, nec expositis otia nosse iugis,
Quum mihi subiectas pateat discursus in herbas,
Et nemorum liceat rursus opaca sequi?
At senior nullam verbis compulsus in iram,
Vertebat solitam vomere fessus humum,
Donec deposito per prata liceret aratro
Molliter herboso procubuisse toro.
Mox vitulum sacris innexum respicit aris,
Admotum cultro comminus ire prope.
Hanc tibi tristis ait, dedit indulgentia mortem,
Expertem nostri quæ facit esse iugi.
Proderit ergo graues quamuis sufferre labores,
Otia quam tenerum mox peritura pati.
Est hominum sors ista magis felicibus, vt sit
Mors cita, quum miseros vita diurna regat.

Canis & Leo. 37

Pinguior exhausto canis occurrisse leoni
 Fertur, & insertis verba dedisse iocis.
Nonne vides duplici tendantur vt ilia tergo,
 Luxurietque toris nobile pectus, ait?
Proximus humanis ducor post otia mensis,
 Communem capiens largius ore cibum:
Sed, quod crassa, malum, circumdat guttura ferrum:
 Nec custodita fas sit abire domo.
At tu magna diu moribundus lustra pererras,
 Donec se syluis obuia turba ferat.
Perge igitur nostris tua subdere colla catenis,
 Dum liceat faciles promeruisse dapes.
Protinus ille grauem gemitu collectus in iram,
 Atque ferox animi nobile murmur agit:
Vade, ait, & meritis nodum ceruicibus infer,
 Compensentque tuam vincula dura famem.
At mea cum vacuis libertas redditur antris,
 Quamuis ieiunus quælibet arua peto.
Has illis epulas potius laudare memento
 Qui libertatem postposuere gulæ.

Piscis Fluuiatilis & Marinus. 38

Dulcibus in stagnis fluuio torrente coactus
 Æquoreas præceps piscis adibat aquas.
Illic squamigerum despectans improbus agmen
 Eximium sese nobilitate refert.
Non tulit expulsum patrio de gurgite phoca
 Verbaque cum salibus asperiora dedit:
Vana laboratis aufer mendacia dictis:
 Quæque refutari te quoque teste valent.
Nam quis erit potior populo spectante probabo.
 Si pariter captos humida lina trahant.
Tunc me nobilior magno mercabitur auro
 Te simul ære breui debile vulgus emet.

Quisquis ab externis nuper deuenerit oris,
Non decet indigenis velit vt esse prior.

Miles & Lituus. 39

VOuerat adtritus quondam per prælia miles,
Omnia suppositis ignibus arma dare,
Vel quæ victori moriens sibi turba dedisset,
Vel quicquid profugo posset ab hoste capi.
Interea votis sors affuit, & memor arma
Cœperat accenso singula ferre rogo.
Tunc lituus rauco deflectens murmure culpam,
Immeritum flammis se docet esse prius.
Nulla tuos, inquit, petierunt tela lacertos
Viribus adfirmes quæ tamen acta meis:
Sed tantum votis & cantibus arma coegi,
Hæc quoque summisso testor & astra sono.
Ille resultantem flammis crepitantibus addens,
Nec te maior, ait, pœna dolorque rapit:
Nam licet ipse nihil possis tentare, nec ausus,
Sæuior hoc, alios quod facis ipse malos.

Vulpes & Pardus. 40

DIstinctus maculis & pulchro pectore Pardus
Inter consimiles ibat in arua feras.
Et quia nulla graues variarent terga leones,
Protinus his miserum credidit esse genus.
Cætera sordenti damnans animalia vultu,
Solus in exemplum nobilitatis erat.
Hunc arguta nouo gaudentem vulpes amictu
Corripit, & vanas, comprobat esse notas.
Vade ait & pictæ nimium confide iuuentæ,
Dum mihi consilium pulcrius esse queat.
Miremurque magis quos munera mentis adornant,
Quàm qui corporeis enituere bonis.

Nimbus & Teſta. 41

IMpulſus ventis & preſſa nube coactus
Ruperat hybernis ſe grauis imber aquis.
Cumque per effuſas ſtagnaret turbine terras,
Expoſitum campis fictile preſſit opus,
Mobile namque lutum tepidus prius inſtruit aer,
Diſcat vt admoto rectius igne coqui.
Tunc nimbus fragilis perquirit nomina teſtæ:
Immemor illa ſui, amphora dicor, ait:
Nunc me docta manus rapiente volumina giro
Molliter obliquum iuſſit habere latus.
Hactenus hac, inquit, liceat conſtare figura.
Nam te ſubiectam diluit imber aquis.
Et ſimul accepto violentius amne fatiſcens
Pronior in tenues victa cucurrit aquas.
Infelix quæ magna ſibi cognomina ſumens
Auſa pharetratis imbribus iſta loqui.
Hæc poterunt poſthac miſeros exempla monere:
Subdita nobilibus vt ſua facta gemant.

Lupus & Hœdus. 42

FOrtè lupum melior curſu deluſerat hœdus,
Proxima vicinis dum petit arua caſis.
Inde fugam recto tendens in mœnia curſu
Inter lanigeros conſtitit ille greges.
Impius hunc raptor mediamque ſequutus in vrbem
Tentat compoſitis ſollicitare dolis.
Nonne vides, inquit, cunctis vt victima templis
Immerita pecudum morte cruentet humum:
Quòd niſi ſecuro valeas te reddere campo,

Hèu mihi vittata tu quoque fronte cades.
Ille refert modò, quam metuis, precor exue curam,
Et tecum viles improbe tolle minas.
Nam ſat erit ſacrum diuis fudiſſe cruorem,
Quàm rapido fauces exſatiare lupo.
Sic quotiens duplici ſubduntur triſtia caſu,
Expedit inſignem promeruiſſe necem.

FINIS.

ANONYMI FABVLÆ ÆSOPEÆ

Præfatio.

Vt iuuet vt prosit, conatur pagina præsens;
Dulcius arrident seria picta iocis.
Hortulus iste parit fructum cum flore, fauorem
Flos & fructus emunt: hic sapit, ille nitet.
Si fructus plus flore placet, fructum lege; si flos
Plus fructu, florem: si duo, carpe duo.
Ne mihi torpentem sopiret inertia sensum
In quo peruigilet, mens mea mouit opus.
Vt messis pretium de vili surgat agello
Verbula sicca Deus implue rore tuo.
Verborum leuitas morum fert pondus honestum,
Et nucleum celat arida testa bonum.

De Gallo & Iaspide.



Dum

DVm rigido fodit ore fimum, dum quæritat eſcam,
Dum ſtupet inuenta Iaſpide gallus, ait.
Res vili precioſa loco, natique decoris
Hac in ſorde iaces nil mihi meſſis habes.
Si tibi nunc eſſet, qui debuit eſſe, repertor
Quem limus ſepelit, viueret arte nitor.
Nec tibi conuenio, nec tu mihi, nec tibi proſum
Nec mihi tu prodes, plus amo cara minus.
Tu gallo ſtolidum, tu Iaſpide dona ſophiæ
Pulchra notes: ſtolido nil ſapit iſte cibus.

De lupo & Agno. 2



ESt lupus, eſt agnus: ſitit hic, ſitit ille: fluenti
Limite non æquo, quærit vterque viam.
In ſummo bibit amne lupus, bibit agnus in imo,
Hunc timor impugnat, verba mouente lupo.
Rupiſti potumque mihi, riuique decorem
Agnus vtrumque negat, ſe ratione tuens.
Nec tibi nec riuo nocui; nam prona ſupinum
Neſcit iter, nec adhuc vnda nitore caret.
Sic iterum tonat ore lupus, mihi damna minaris?

Non minor, agnus ait; cui lupus, imo facis;
Fecit idem tuus ante pater, sex mensibus actis.
Cum bene patrisses, crimine patris obi.
Agnus adhæc tanto non vixi tempore, prædo.
Hic tonat, an loqueris furcifer? huncque vorat.
Sic nocet innocuo nocuus, causamque nocendi
Inuenit; hi regnant qualibet vrbe lupi.

De Mure & Rana.



MVris iter rumpente lacu, venit obuia muri
Rana loquax, & opem pacta, nocere cupit.
Omne genus pestis superat mens dissona verbis,
Cum sentes animi florida lingua polit.
Rana sibi murem filo confederat, audet,
Nectere fune pedem, rumpere fraude fidem.
Pes coit ergo pedi; sed mens a mente recedit.
Ecce natant; trahitur ille, sed illa trahit.
Mergitur vt secum murem demergat, amico
Naufragium faciens, naufragat ipsa fides.
Rana studet mergi; sed mus emergit, & obstat
Naufragio: vires suggerit ipse timor.

Miluus

Miluus adeſt, miſerumque truci rapit vngue duellum
  Hic iacet; ambo iacent, viſcera rupta fluunt.
Sic pereant qui ſe prodeſſe fatentur, & obſunt.
  Diſcat in auctorem pœna redire ſuum.

De Cane & Oue. 4



IN cauſam canis vi get ouem, ſedet arbiter, audit.
  Reddat ouis panem vult canis; illa negat.
Pro cane ſtat miluus, ſtat vultur, ſtat lupus: inſtant
  Panem quem pepigit reddere, reddat ouis,
Reddere non debet, nec habet quod reddere poſſit;
  Et tamen vt reddat, arbiter inſtat oui,
Ergo ſuum, licet inſtet hyems, peruendit amictum,
  Et Boream patitur, vellere nuda ſuo.
Sæpe fidem falſo mendicat inertia teſte
  Sæpe dolet pietas, criminis arte capi.

De Cane & Carne. 5

NAt canis ore gerens carnem, caro porrigit vmbrã
  Vmbra cohæret aquis: has canis vrget aquas,



Spem carnis plus carne cupit, plus fœnore signum
 Fœnoris; os aperit, Sic caro spesque perit.
Non igitur debent pro vanis certa relinqui.
 Non sua si quis amat, mox caret ipse suis.

De Leone, Vacca, Capra & Oue. 6



Vtra-

VT ratione pari fortunæ munera ſumant,
Sumunt fœdus, ouis, capra, iuuenca leo.
Ceruus adeſt, ceruum rapiunt, leo ſic ait, hæres
Primæ partis ero, nam mihi primus honor.
Et mihi defendit partem vis prima ſecundam,
Et mihi dat maior tertia iura labor.
Et pars quarta meum, niſi ſit mea, rumpet amorem.
Publica ſolus habet fortior, ima premens.
Ne ſociet fortem fragilis, vult pagina præſens
Nam fragili fidus neſciet eſſe potens.

De Fœmina & Fure. 7

FOemina dum nubit furi, vicinia gaudet,
Vir bonus & prudens, talia verba mouet.
Sol pepigit ſponſam. Iouis aures Terra querelis
Perculit, & cauſam cur foret ægra, dedit.
Sole necor ſolo, quid erit ſi creuerit alter?
Quid patiar? quid aget tanta caloris hyems?
Hic prohibet ſermo lętum præbere fauorem.
Qui malè fecerunt, vel mala facta parant.

De Lupo & Grue. 8

ARta lupum cruciat via gutturis oſſe retento
Mendicat medicam, multa daturus opem.
Grus promiſſa petit, de faucibus oſſe reuulſo,
Cui lupus, en viuis munere tuta meo?
Nonne tuum potui morſu præſcindere collum?
Ergo tibi munus ſit tua vita meum.
Nil prodeſt prodeſſe malis: mens praua malorum
Immemor accepti, non timet eſſe boni.

De duabus Caniculis. 9



DE partu querulam verborum nectare plenam
Pro cane mota canis, ſuſcipit æde canem.
Hæc abit, illa manet, hæc curſitat, illa quieſcit,
Huic tamen à partu ſoluitur ipſa quies,
Illa redit, reddique ſibi ſua iura precatur,
Obſerat hæc aurem, nec minus aure domum.
Plus prece poſſe minas putat. hæc plus bella duobus
Noſcit poſſe minas, plus prece bella minus.
Cum dolor hanc armet, plus matrem filius armat,
Cedit ſola gregi: iuſtaque cauſa perit.
Non ſatis eſt tutum mellitis credere verbis:
Ex hoc melle ſolet peſtis amara ſequi.

De Ruſtico & Colubro. 19

DVm niue candet humus, glacies dũ ſopit aquarũ
Curſus, in colubrum turbida ſæuit hyems.
Hunc videt, hunc reficit hominis clementia; ventum
Temperat huic tecto; temperat igne gelu.
Ver redit imber abit, æſtas cum ſole tepeſcit.
Sic importunus fit magis atque magis.
O.c ſerit virus coluber, ſic toxicat ædem,

Hoſpes



Hoſpes ait colubro, non rediturus abi.
Non exit coluber, nec vult exire, ſed hæret,
Amplectenſque virum ſibila dira mouet.
Reddere gaudet homo nequam pro melle venenum,
Pro fructu pœnam, pro pietate dolos.

De Aſino & Apro. 11



Audet

AVdet asellus aprum risu temptare proteruo,
Audet iners forti dicere, Frater aue.
Vibrat aper pro voce caput; nam verba superbit
Reddere, sed dentem vix tenet ira trucem.
Sus tamen ista mouet, vilem dens nobilis escam
Spernit: desidia tutus es ipse tua.
Non debet stolido lædi prudentia risu,
Nec stolidus doctum debet adire iocis.

De mure Vrbano & Rustico. 12



RVsticus vrbanum mus murem suscipit, ædem,
Cõmodat & mentem, mensaque mente minor
In mensa tenui satur est immensa voluntas,
Nobilitat viles frons generosa dapes.
Facto fine cibis, vrbanum Rusticus audit
Vrbani socius tendit in vrbis opes.
Ecce penu subeunt, inseruit amicus amico;
Inuigilant mensæ; fercula mensa gerit.
Emendat conditque cibos clementia vultus,
Conuiuam satiat plus dape frontis honor.
Ecce seræ clauis immurmurat, ostia latrant,
Ambo timent, fugiunt ambo, nec ambo latent.

Hic

Hic latet, hic tenebras curſu mendicat inepto
   Aſſuitur muro reptile mutis onus.
Blanda penu clauſo parcit Fortuna timente,
   Ille tamen febrit: teſte tremore timet.
Exit qui latuit, timidum ſic lenit amicum
   Gaude carpe cibos, hæc ſapis eſca fauum.
Fatur qui latuit, latet hoc in melle venenum
   Fellitumque metu non puto dulce bonum.
Quam timor obnubit, non eſt ſincera voluptas.
   Non eſt ſollicito dulcis in ore cibus.
Rodere malo fabam, quam cura perpete rodi,
   Degenerare cibos cura diurna facit.
His opibus gaude, qui gaudes turbine mentis,
   Pauperiem ditat pax opulenta mihi.
Hæc bona ſolus habe, quæ ſunt tibi dulcia ſoli,
   Dat precium dapibus vita quieta meis.
Finit verba, redit; præponit tuta timendis,
   Et quia ſumma timet, tutius ima petit.
Pauperies ſi læta venit tutiſſima res eſt,
   Triſtior immenſas pauperat vſus opes.

De Vulpe & Aquila. 13



Dum

DVm vulpes aquilam pro rapta prole, perungit
Melle precum; prædam reddere nescit auis.
Præda gemit, nidique timet cibus esse gulosi:
Sed redimit natos vtilis arte parens.
Arboreum ponat stipulis & vimine truncum,
In stipulam docto porrigit ore facem
In pullos aquilæ consurgit copia fumi.
Hunc timet, & vulpem prouida placat auis.
Non sit qui studeat, quia maior, obesse minori,
Cum bene maiori possit obesse minor.

De Aquila & Testudine. 14



PEs aquilæ, prædo testudinis, aera scindit.
Hanc sua concha tegit, cornua longa latent.
Hoc monitu cornix aquilam præmunit ineptum,
Fers onus, hoc fiet vtile; crede mihi.
Quod geris in concha cibus est: tibi subripit illum
Concha cibum; concham frange, cibusque cadet.
Vt concham lanies, pro viribus vtere sensu:
Hanc, si celsa cadit, saxea frangit humus.

De se

De se tutus homo, subuersus turbine linguæ
Corruit; & forteis ista procella rapit.

De Vulpe & Coruo. 15



Vulpe gerente famem, coruum gerit arbor, & escā
Ore gerens coruus, vulpe loquente, silet.
Corue decore decens, cygnum candore parentas,
Si cantu placeas, plus aue quaque places.
Credit auis, pictæque placent præludia linguæ:
Dum canit vt placeat, caseus ore cadit.
Hoc fruitur vulpes; insurgunt tædia coruo,
Asperat in modico damna dolore pudor.
Fellitum patitur risum, quem mellit inanis
Gloria; vera parit tædia, falsus honor.

De Leone inueterato. 16

IRretit miserum grauitas annosa leonem,
Inglaciat corpus, corque senile gelu.
Instat aper; pensat veteri pro vulnere vulnus.
Frontis cum telo taurus vtroque fodit.



Sæuit asellus iners, & frontem calce sigillat.
Hæc solo gemitu vindicat acta leo.
Omnia quæ vici, me vincunt omnia: dormit
Vis mea, dormit honor, dormit honoris opus.
Cui nocui, nocet ille mihi, multisque peperci,
Qui mihi non pereunt, pro pietate nocent.
Hunc timeat casum, qui se non fulcit amico,
Nec dare vult fœlix, quam miser optat opem.

De Asino & Catulo. 17

MVrmuris & caudæ studio testatur amorem,
Nunc lingua catulus; nunc pede calcat herũ.
Gaudet herus comitque canem, comitemque ciborũ
Efficit; alludit turba ministra cani.
Arte pari, similesque cibos, similemque fauorem
Lucrari cupiens, inquit asellus iners.
Me catulo præfert vitæ nitor, vtile tergum.
Nec placeo fructu, sed placet ille ioco.
Ludam, ludo, places, sic ludi tempore viso,
Vt ludo placeat, ludit & instat hero.
Blandiri putat ore tonans, humerosque priorum
Pressit

Preſſit mole pedum, ſe putat eſſe pium:
Clamat herus: vult clamor opem; ſubit ordo clientũ,
Multa domat multo verbere claua reum
Quod natura negat, nemo fœliciter audet:
Diſplicet imprudens, vnde placere putat.

De Leone & Mure. 18



FRigida ſopito blanditur ſylua leoni,
Curſitat hic murum ludere promta cohors.
Preſſus mure leo murem rapit; ille precatur,
Ille precem librat, ſubiacet ira preci.
Hæc tamen ante mouet animo: quid mure perempto
Laudis emes? ſummum vincere parua pudet.
Si nece dignetur murem leo, nonne leoni
Dedecus, & muri cœperit eſſe decus?
Si vincat ſummus minimum, ſic vincere vinci eſt.
Vincere poſſe decet, vincere crimen habet.
Si tamen hoc decus eſt, ſi laus, ſi vincere; laus hæc
Et decus hoc, minimo fiet ab hoſte minus.
De pretio victi pendet victoria: victor
Tantus erit, victi gloria quanta fuit.

Mus abit, & grates reddit, si reddere possit
    Spondet opem solus; fit mora parua dies.
Nam leo rete subit, nec prodest viribus vti,
    Sed prodest querulo murmure damna loqui.
Mus redit, hunc reperit, cernit loca, vincula rodit,
    Hac ope pensat opem: sic leo tutus abit.
Rem potuit tantam minimi prudentia dentis,
    Cui leo dans veniam se dedit ipse sibi.
Tu qui summa potes, ne despice parua potentem,
    Nam prodesse solet, si quis obesse nequit.

De Miluo ægrotante. 19

MOrbi mole iacet miluus, matremque precatur
    Vt pro se superis det sacra, detque preces.
Mater ait, mi nate, deos & sacra deorum
    Læsisti, recolunt impia facta dei.
Criminis vltores pensant pro crimine pœnam.
    Dum sacra turbares, pœna timenda fuit.
Te cogit timor esse pium, te pœna fidelem:
    Hic timor, hæc pietas cum nece sera venit.
Qui maculat vitam, mundas cur incolit aras?
    Quem sua facta premunt, cur aliena leuat?

De Hirundine & auibus. 20

VT linum pariat de lini semine semen
    Nutrit humus: sed aues tangit hirundo metu.
Hæc ait, hoc semen nobis mala damna minatur,
    Vellite pro nostris semina sparsa malis.
Turba fugit sanos monitus, vanosque timores
    Arguit; exit humum semen, & herba viret:
Rursus hirundo mouet instare pericula; rident
    Rursus aues. hominem placat hirundo sibi,
Cumque viris habitans cantu blanditur amico;
    Nam prouisa minus tela nocere solent.
Iam metitur linum, iam fiunt retia, iam vir
    Fallit aues, iam se conscia culpat auis.

Vtile consilium qui spernit, inutile sumit
  Qui minus est tutus, retia iure subit.

Similitudo ad sequentem fabulam.

FAbula nata sequi mores & pingere vitam,
  Tangit quod fugias, quodue sequaris iter.
Rege carens nec regis inops, sine lege nec exlex,
  Absque iugo gessit Attica terra iugum.
Libertas errore carens, se sponte coegit.
  Et pudor ob legem fortior ense fuit.
Ne libitum faceret, regem gens libera fecit;
  Et quæ non potuit pellere iussa, tulit.
Rex cepit linire bonos, punire nocentes
  Quæq; leuanda leuans, quæq; premenda premens.
Hos onerat ciues positos sub lege nouella,
  Quæ leniter poterant, vix potuere pati.
Vrbem triste iugum querula ceruice ferentem
  Æsopus tetigit, consona verba mouens.


De Ranis. 21



DVm nihil auderet ludentes lædere ranas,
  Supplicuere Ioui ne sine rege forent.

Iuppiter huic voto risum dedit: ausa secundas
   Rana preces, subitum sensit in amne sonum.
Nam Ioue dante trabem, trabis ictu flumine moto,
   Demersit subitus guttura rauca timor.
Placato rediere metu, videre tigillum,
   Stando procul regem pertimuere suum.
Vt nouere trabem per se non posse moueri,
   Pro duce fecerunt tertia vota Ioui.
Ira Iouem mouit, regem dedit, intulit hydrum.
   Hydrus hiante gula cœpit inire lacum.
Clamitat ecce lacus, morimur pie Iuppiter audi,
   Iuppiter exaudi, Iuppiter affer opem.
Nos sepelit venter, nostris sumus esca tyranni,
   Aufer cædis onus, redde quietis opem.
Ille refert, emptum longa prece ferte magistrum,
   Viadicet æternus otia spreta metus.
Omne boni precium nimio vilescit in vsu,
   Fitque mali gustu dulcius omne bonum.
Si quis habet quod habere decet, sit lætus habendo,
   Alterius non sit qui suus esse potest.

De Accipitre & Columbis. 21



Accipi-

ACcipitrem, milui pulsurum bella, columbæ
Accipiunt regem; Rex magis hoste nocet.
Incipiunt de rege queri, quod sanius esset
Milui bella pati, quam sine Marte mori.
Si quid agas prudenter agas & respice finem.
Ferre minora volo, ne grauiora feram.

De Fure & Cane. 23



FVre vocante canem prætenso munere panis.
Spreto pane canis talia verba mouet.
Vt sileam tua dona volunt, furtisque laborant
Esse locum, panem si fero, cuncta feres.
Fert munus mea damna tuum, latet hamus in esca
Me priuare cibo cogitat iste cibus.
Non amo nocturnum panem plus pane diurno,
Aduena, plus nolo non placet hostis hero.
Non rapiet nox vna mihi bona mille dierum,
Nolo semper egens esse, semelque satur.
Latrando tua furta loquar nisi sponte recedas
Hic filet, ille manet, hic tonat, ille fugit.
Si tibi quid detur, cur detur respice, si des
Cui des ipse nota; teque gulose doma.

De Lupo & Sue pariente. 2

VVlt lupus vt pariat maturum ſucula fœtum.
Seque noui curam ſpondet habere gregis.
Sus ait, hac cura careas, mihi nolo miniſtres;
Horrent obſequium viſcera noſtra tuum.
I procul, vt tuto liceat mihi fundere fœtus
I procul, & pietas hæc erit apta mihi.
Pro natis natura iubet timuiſſe parentem
Fine dato verbis hic abitilla, parit.
Tempore non omni, non omnibus, omnia credes.
Qui miſero credit creditur eſſe miſer.

De terra tumente. 2



TErra tumet; tumor ille gemit, gemituſq; fatetur
Partum, pene perit ſexus vterque metu.
Cum tumeat tellus, monſtrat ſe monſtra daturam.
Hinc homines trepidant, & prope ſtare timent.
In riſum timor ille redit; nam turgida murem
Terra parit; iocus eſt quod fuit ante timor.

Sæpe

Sæpe minus faciunt homines, qui magna minantur
Sæpe gerit nimios causa pusilla metus.

De Capra, Oue, & Lupo. 26

CVm grege barbato dum ludit iunior agnus
Tendit in hunc menti dissona verba Lupus.
Cur olidam munda sequeris plus matre capellam
Lac tibi præberet dulcius ipsa parens.
Est prope, festina, matrem pete, munera matris
Lac bibe; nam seruat vbera plena tibi.
Agnus adhæc; pia capra mihi lac dulce ministrat;
Me vice matris alit, me vice matris amat.
Non mihi, sed domino prodest me viuere; viuo
Vt metat à tergo vellera multa meo.
Ergo mihi præstat nutriri lacte caprino,
Quam lac matris habens, mergar in ore tuo.
Omnes vincit opes securam ducere vitam,
Pauperius nihil est, quam malus vsus opum.
Nil melius sano monitu, nil peius iniquo,
Consilium sequitur certa ruina malum.

De Cane & Domino suo. 27

ARmauit natura canem pede, dente, iuuenta
Hinc leuis, hinc mordax, fortis & inde fuit.
Tot bona furatur senium; nam robore priuat
Corpus, dente genas, & leuitate pedes.
Hic leporem prendit; fauces lepus exit inermes.
Elumbem domini verberat ira canem.
Reddit verba canis, dum me pia pertulit ætas,
Nulla meum potuit fallere præda pedem.
Defendit senii culpam, laus ampla iuuentæ,
Pro sene qui cecidit facta priora vigent.
Nullus amor durat, nisi fructus seruet amorem,
Quilibet est tanti, munera quanta facit.

Magnus eram dum magna dedi: iam muſcidus annis
 Vileo, de veteri mentio nulla bono.
Si laudas quod erã, quod ſum culpare proteruum eſt;
 Si iuuenem recipis, pellere turpe ſenem eſt.
Se miſere ſeruire ſciat, qui ſeruit iniquo:
 Parcere ſubiectis neſcit iniquus homo.

De leporibus fugientibus. 28



SYlua ſonat, fugiunt lepores, palus obuiat, hærent,
 Fit mora, reſpiciunt ante retroque, timent,
Dum librant in mente metus, ſe mergere pacti,
 Se metui, & ranas ſtagna ſubire vident.
Vnus ait ſperare licet; non ſola timoris
 Turba ſumus; vano rana timore latet.
Spem decet amplecti, ſpes eſt via prima ſalutis.
 Sæpe facit metui non metuenda, metus.
Corporis eſt leuitas, & mentis inertia nobis,
 Iſta fugæ cauſam ſuggerit, illa necem.
Sic metuat quicumque timet, ne mole timoris
 Spe careat: grauis eſt ſpe fugiente timor.
Speret qui metuit, morituros viuere vidi
 Spe duce; victuros ſpe moriente mori.

De Ca-

De Capra & Hœdulo 29



CApra cibum quærens, hœdum commendat ouili.
Hunc illi solida seruat ouile sera.
Natum cauta parens monitu præmunit amico,
Vt lateat, nec sit in sua damna vagus.
Hic latet; ecce lupus mouet hostiã: voce capellam
Exprimit, vt pateant hostia clausa, petit.
Sta procul, hœdus ait, caprizas gutture falso;
Cum bene caprizas, te procul esse volo.
Quod mea sis mater, mentitur imago loquendi;
Rimula qua video, te docet esse lupum.
Insita natorum cordi doctrina parentum
Cum pariat fructum, spreta nocere solet.

De Rustico & Angue. 30

RVstica mensa diu nutritum fouerat anguem
Humanam potuit anguis amare manum.
Gratia longa viri subitam mutatur in iram,
Ira per anguineam dirigit arma caput.



Vulneris auctor eget, se vulnere credit egenum.
Angui pro venia supplicat; anguis ait
Non ero securus dum sit tibi tanta securis,
Dum cutis hæc memorat vulnera facta sibi:
Qui me læsit, item lædet si lædere possit.
Expedit infido non iterare fidem.
Sed te si pigeat sceleris, scelus omne remitto.
Nam gemitus veniam vulnere cordis emit.
Qui primo nocuit, vult posse nocere secundo,
Quæ dedit infidus mella, venena puto.

De Ceruo, Oue & Lupo. 31

CEruus oui præsente lupo sic intonat, amplum
Vas tritici debes reddere, redde mihi.
Sic iubet esse lupus: paret ista timore iubentis,
Namque die fixo debita spondet ouis.
Fit mora; Ceruus ouem vexat de fœdere; ceruo
Inquit ouis, non stant fœdera facta metu.
Ne decuit quæcumque Lupo cogente fateri.
Me decuit fraudem pellere fraude pari.

Cum



Cum timor in pacto ſedit, promiſſa timoris
Arent; nil fidei verba timentis habent.

De Muſca & Caluo. 32



MVſca premit caluũ; muſcam vult lædere caluus:
Vt muſcam feriat, ſe ferit; illa redit.

Caluus

Caluus ait, te parca iubet vicina necari.
Si ferior rides, si feriare cades.
Sospes ero decies ictus, semel icta peribis.
Est mea promta mihi gratia, surda tibi.
Iure potest lædi lædens, vt lædat; in illum
Vnde breuis cœpit læsio, magna redit.

De Vulpe & Ciconia.



VVlpe vocante venit, sperat que ciconia cænam.
Fallit auem liquidus vulpe vocante cibus.
Cum bibit illa cibos, solum bibit illa dolorem.
Hic dolor in vulpem fabricat arma doli.
Sunt pauci mora parua dies, auis inquit, habemus
Fercula quæ sapiunt, dulcis amica veni.
Hæc venit; hæc vitreo vase bona fercula condit,
At solam recipit formula vasis auem.
Laudat opes oculo vasis nitor; has negat ori
Formula, sic geminant visus odorque famem.
Sic vulpes ieiuna redit, sic fallitur audens
Fallere; sic telo læditur ipsa suo.
Quod tibi non faceres, alii fecisse caueto.
Vulnera non facias, quæ potes ipse pati.

De Lupo

De Lupo & capite inuento. 34

DVm legit arua lupus, reperit caput arte superbū:
Hoc beat humanis ars pretiosa genis.
Hoc lupus alterno voluit pede, verba resoluit,
O sine voce genas, ô sine mente caput!
Fuscat & extinguit cordis caligo, nitorem
Corporis est animi solus in orbe nitor.

De Graculo & Pauone. 35

GRaculus, inuento picti pauonis amictu,
Se polit, & socias ferre superbit aues.
Quem fore pauonem pauonis penna fatetur.
Pauonum generi non timet esse comes.
Pauo dolum sentit; falsi pauonis honorem
Increpat, & domitam verbere nudat auem.
Nuda latet. sociosque fugit, minuique pudorem
Sic putat, hunc diro corripit ore comes.
Ascensor nimius nimium ruit; aptus in imis
Est locus; hæc leuis est, illa ruina grauis.
Qui plus posse putat sua quam natura ministrat,
Posse suum superans, se minus esse putat.
Si tibi nota satis naturæ meta fuisset,
Nec vilis nec inops nec sine teste fores.
Cui sua non sapiunt, alieni sedulus auceps
Quod non est rapiens, desinit esse quod est.

De Musca & Formica. 36

MVsca mouens lites formicam voce fatigat,
Se titulis ornat turpiter ipsa suis.
Torpes mersa cauis, leuitas mihi quæritur alis,
Dat tibi fossa domum, nobilis aula mihi.
Deliciæ sunt grana tuæ, me regia nutrit

Mensa,



Menſa, bibis fæcem, ſed bibo dulce merum.
Quod bibis, à limo ſugis: mihi ſuggerit aurum,
Quod bibo; ſaxa premis, regia terga premo.
Sede, cibis, potu, thalamo, cum regibus vtor,
Reginæ teneris oſcula figo genis.
Non minus vrentes mittit formica ſagittas,
Et ſua non modicum ſpicula fellis habent.
Ludo merſa cauis; neſcit tua penna quietem,
Sunt mihi pauca ſatis, ſunt tibi multa parum.
Me lætam videt eſſe cauus, te regia triſtem
Plus mihi grana placent, quam tibi regis opes.
Venatur mihi farra labor, tibi fercula furtum,
Hæc mihi pax mellit, toxicat illa timor.
Mundo farre fruor, tu fœdas omnia tactu
Cum nulli noceam, omnibus vna noces.
Eſt mea parcendi ſpeculum, tua vita nocendi.
Sunt mea quæ carpo, non niſi rapta voras.
Vt comedas viuis, comedo ne viuere ceſſem,
Me nihil infeſtat, te fugat omnis homo.
Vnde petis vitam, rapitur tibi vita; palato
Dulcia vina bibens, fel necis acre bibis.
Si negat ala tibi ventoſo victa flabello,

Aut

Aut nece vinciris, aut ſemiuiua iaces.
Si potes æſtiui dono durare fauoris,
Cætera ſi parcant, non tibi parcit hyems.
Dulcia pro dulci, pro turpi turpia reddi
Verba ſolent; odium lingua fidemque parit.

De Mula & Muſca. 37

MVla rapit curſum, nam mulam mulio cogit
Mulæ muſca nocet, vulnere ſiue minis.
Cur pede ſopito tempus currumque moraris?
Te premo, te pungo, peſſima curre leuis.
Mula refert, quia magna tonas, vis magna videri
Nec tua facta nocent, nec tua verba mihi
Nec te ſuſtineo, ſed eum, quem ſuſtinet axis,
Qui mea fræna tenet, qui mea terga ferit.
Audet in audacem timidus; fortique minatur,
Debilis, audendi dum videt eſſe locum.

De Leone & Spina. 38

SOllicitus prædæ currit Leo; ſpina Leonem
Vulnerat, offendit in pede merſa, pedem.
Fit mora de curſu; leuitas improuida lapſum
Sæpe facit, læſo ſtat pede turba pedum
Vix ægrum ſinit ille dolor, ſaniemque fatetur.
Maior idem loquitur vulneris ipſe dolor.
Cum lædit miſeros fortuna, medetur eiſdem
Hoc eſt cur medicum plaga Leonis habet.
Nam Leo paſtorem reperit; paſtorque Leoni
Pro dape præbet oues; reſpuit ille dapes.
Supplicat, & plagam prætenſo pede monſtrat, & eius
Orat opem, paſtor vulnera ſoluit acu.
Exit cum ſanie dolor, & res cauſa doloris,
Hic blando medicam circuit ore manum
Soſpes abit, meritique notas in corde ſigillat.

Tempore deleri gratia firma nequit.
Hinc leo vincla ſubit; Romanæ gloria prædæ
Hunc habet, & multas miſcet arena feras
Ecce necis potum paſtori culpa propinat,
Clauditur in mediis, & datur eſca feris.
Hunc fera præſentit, petit hunc, timet ille, timenti
Hæc fera blanditur; ſperat, abitque timor.
Nil feritatis habens ludit fera, cauda reſultat,
Dum fera manſueſcit, ſe negat eſſe feram.
Hunc tenet, hunc lingit, penſatque ſalute ſalutem
Nulla ſinit fieri vulnera, nulla facit.
Roma ſtupet, parcitque viro, parcitque Leoni,
Hic redit in ſiluas, & redit ille domum
Non debet meritum turpis delere vetuſtas,
Accepti memores nos decet eſſe boni.

De Lupo & Vulpe. 39



RESpondere Lupo, de furti labe tenetur
Vulpes eam vocat, hic petit, illa negat.
Simius eſt iudex; docti non errat acumen
Iudicis, arcanum mentis in ore legit

Iudi-

Iudicium fingit; poſcis quod poſcere fraus eſt,
Viſque fidem de re, quam negat ipſa fides.
Tu bene furta negas, te vitæ purior vſus
Liberat; hanc litem pax domat, ira cadit.
Simplicitas veri, fraus eſtque puerpera falſi
Eſſe ſolent vitæ, conſona verba ſuæ.
Sordibus imbuti, nequeunt dimittere ſordem,
Fallere qui didicit, fallere ſemper amat.

De Ruſtico & Muſtela. 40

PRæda virì prædo murum muſtela precatur
Da veniam, debes parcere, parce mihi.
Quod caret hoſte domus, quod abeſt à ſorde, fatetur
Eſſe meum, pro me te rogat, ergo faue.
Seruitio me redde tuo, mihi redde laboris.
Præmia; pro dono ſit mea vita mihi.
Ille refert, operis debetur gratia menti,
Non operi; gratum mens bona reddit opus.
Nemo licet proſit, niſi vult prodeſſe, meretur.
Non prodeſſe poteſt hoſtis, obeſſe volens
Cum mihi prodeſſes, mihi non prodeſſe volebas;
Hoſtibus ipſa meis, & meus hoſtis eras.
Non mihi monſtra necans, ſed eras tibi prouida ſoli,
Sic panem poteras rodere ſola meum.
Pane meo pinguis, mihi da pinguedinis vſum,
Damnis penſo necem; digna perire peri.
Nil decorat factum niſi facti ſola voluntas
Non operis fructum ſed nolo mentis opus.

De Boue & Rana. 41

ÆQuati vult rana boui, tumet ergò; tumenti
Natus ait, ceſſa præ boue tota nihil.
Rana dolet, meliuſque tumet; premit ille tumentem
Vincere non poteris, victa crepare potes,



Tertius iratam vexat tumor, illa tumoris
 Copia findit eam; gutture rupta patent.
Cum maiore minor contendere desinat, & se
 Consulat, & vires temperet ipse suas.

De Leone & Equo. 42



Tondet

TOndet equus pratum, petit hunc leo, causa leonẽ
Hæc mouet, vt fiat esca Leonis Equus.
Inquit Equo, mi frater aue, fruor arte medendi,
Et comes & medicus sum tibi: paret equus.
Sentit Equus fraudes, & fraudi fraude resistit
Mente prius texens retia fraudis, ait.
Quæsitus placidusque venis, te temporis offert
Gratia; te rogitat pes mihi sente grauis.
Hic fauet, instat equo, subiecto vertice calcem
Imprimit, & sopit membra leonis equus
Vix fugit ille sopor, vix audet vita reuerti,
Vix leo colla mouens respicit; hostis abest,
Sic leo se damnat, patior pro crimine pœnam,
Nam gessi speciem pacis, & hostis eram.
Quod non es non esse velis, quod es esse fatere,
Est male quod non est, qui negat esse quod est.

De Equo & Asino. 43

GAudet Equus phaleris, fræno sellaque superbit,
Ista quidem vestit aureus arma decor.
Obstat Asellus Equo; vicus premit artus Asellum,
Vexat onus, tardat natus eundo labor.
Quod sibi claudat iter, sonipes inclamat asellum
Occurris domino vilis aselle tuo.
Vix tibi do veniam de tanti crimine fastus,
Cui via danda foret libera dignus eram.
Subticet ille timens, mutusque pudore silendo
Tutior & surda prætetit aure minas.
Summus Equi declinat honor, dum vincere tentat
Vincitur, & cursum viscera rupta negant.
Priuatur phaleris, frœno sellaque nitente
Hunc premit assiduo rheda cruenta iugo.
Huic tergum macies acuit, labor vlcerat armos,
Hunc videt, inque iocos audet asellus iners
Dic sodes vbi sella nitens, vbi nobile frœnum

Cur est hæc macies, cur fugit ille nitor?
Cur manet hic gemitus, cur illa superbia fugit?
Vindicat elatos iusta ruina gradus.
Stare diu nec vis, nec honor, nec forma, nec ætas.
Sufficit in mundo; plus tamen ista placent.
Viue diu, sed viue miser, sociosque minores
Disce pati; risum dat tua vita mihi.
Pennatis non crede bonis; te nulla potestas
In miseros armet; nam miser esse potes.

De Quadrupedibus & Auibus. 44



QVadrupedes pugnant auibus, victoria nutat.
Spes onerata, metu vexat vtrumque gregem.
Linquit aues quæ sumit auis de vespere nomen
Nec timet oppositi castra iuuare chori.
Armat aues Aquilę virtus & viribus implet
Et monitu, torpet altera turba metu.
Amplexatur aues pennis victoria lætis,
Pro titulo pœnam transfuga sumit auis.
Vellera nuda suo, pro plumis vulnera portat
Edictumque subit, ne nisi nocte volet.

Non bonus est ciuis qui præfert ciuibus hostem
  Vtiliter seruit nemo duobus heris.

De Accipitre & Philomena. 45

DVm Philomena sedet, studium mouet oris amœnũ
  Sic sibi, sic nido visa placere suo.
Impetit accipiter nidum, pro pignore mater
  Supplicat, alter ait, plus prece carmen amo.
Nec prece nec precio, sed amœno flectere cantu
  Me potes; ille silet, dulcius illa canit.
Mente gemit, licet ore canat mens eius acescit,
  Cuius mellifluum manat ab ore melos.
Impia fatur auis, sordet modus iste canorus,
  Et laneat natum matre vidente, suum.
Mater obit, nec obire potest, sed viuit vt ipsam
  Vincat vita necem, plus nece cladis habens.
Cor matris patitur plus nati corpore, corpus
  Rodit auis rostro, cor fodit ense dolor.
Vestigat sua pœna scelus: nam fraudibus vso
  Aucupe, fraudosam viscus inescat auem.
Fine malo claudi semper mala vita moretur,
  Qua capit insontes, se dolus arte capit.

De Vulpe & Lupo. 46

DItat præda lupum, ducit Lupus otia longa
  Facta cibo, vulpes inuidet, ista mouet.
Frater aue, miror cur tanto tempore mecum
  Non fueris; nequeo non memor esse tui.
Ille refert, pro me vigilet tua cura, precari
  Numina ne cesses, ne mea vita ruat.
Fraude tamen munita venis, falsoque venenum
  Melle tegis; dolor est copia nostra tibi.
Extorquere paras aliquid, furtumque minaris,
  Sed mea furtiuam respuit esca gulam.



Spreta redit, spretam stimulat dolor; apta dolori
Fraus subit, ad pecorum transuolat illa ducem.
Hunc monet his verbis, tua gratia muneris instar
Sit mihi, namque lupum dat mea cura tibi.
Hostem perde tuum, tuto iacet hostis in antro
Vir fauet, antra petit, & necat ense lupum.
Ista lupi consumit opes, sed floret ad horam
Vita nocens; vulpes casse retenta gemit.
Cur nocui? nocet ecce mihi nocuisse nociuo,
Iure cado, cuius concidit arte lupus.
Viuere de rapto vitam rapit; inuidus instans
Alterius damnis, in sua damna ruit.

De Ceruo & Venatore. 47

FOns nitet argento similis, sitis arida ceruum
Huc rapit, haurit aquas, se speculatur aquis.
Hunc beat, hunc mulcet, ramosæ gloria frontis,
Hunc premit, hunc lædit tibia macra pedum.
Ecce canes, tonat ira canum, timet ille, timenti
Fit fuga, culpati cruris adorat opem.
Claustra subit syluæ, cornu retinente moratur,

Crura

Crura neci rapiunt, cornua longa necant.
Spernere quod prosit, & amare quod obsit, ineptũ est.
Quod fugimus prodest & quod amamus obest.

De Milite & Fœmina. 48

DVm vir & vxor amant, vxorem priuat amato
Parca viro, nec eam priuat amore viri.
Coniugis amplectens tumulum, pro coniuge vexat
Vngue genas, oculos fletibus, ora sono.
Hanc iuuat ipse dolor, nequit hac de sede reuelli
Grandine, seu tenebris, seu prece, siue minis.
Ecce reum damnat iudex; crux horrida punit,
In cruce custodit, tempore noctis, eques.
Hic sitit, ad tumulum vocat hunc & clamor & ignis,
Orat aquæ munus, hæc dat, & ille bibit
Ægrum nectareis audet cor inungere verbis
Hunc vocat ad primum cura timoris opus.
Sed redit, & dulces monitus intexit amaro
Cordi; victa subit castra doloris amor.
Vir metuens furem furis, suspendia furis
Visit, sed viduam tactus amore petit.
Hanc ligat amplexu fructumque ligurit amoris
Hinc redit ad furem, sed loca fure carent.
Hic dolet, hoc quæstu dolor hic instigat amicam,
Non bene seruato fure, timore premor.
Rex mihi seruandum dederat, me regius ensis
Terret, & extorrem me iubet esse timor.
Hæc ait, inueni, quæ spem tibi suscitet, artem,
Vir meus implebit in cruce furis onus.
Ista viri bustum reserat, pro fure catenat
Ipsa virum, restem subligat ipsa viro.
Huic merito succumbit eques; succumbit amori
Illa nouo, ligat hoc firmus amore thorus
Sola premit viuosque metu pœnaque sepultos
Fœmina; fœmineum nil bene finit opus.

De Thaide & Iuuene. 49



ARte ſua Thais iuuenes irretit, amorem
Fingit, & ex ficto fructus amore venit.
A multis fert multa procis, ex omnibus vnum
Eligit, huic veri ſpondet amoris opes,
Sim tua ſiſque meus cupio: plus omnibus vnum
Te volo, ſed nolo munus habere tuum
Percipit ille dolos, & reddit qualia ſumſit,
Sis mea, ſimque tuus, nos decet æquus amor.
Viuere non vellem, niſi mecum viuere velles.
Tu mihi ſola ſalus, Tu mihi ſola quies
Sed falli metuo, quia me tua lingua fefellit,
Præteriti ratio ſcire futura facit.
Vitat auis taxum, quem guſtu teſte probauit,
Fallere vult hodie ſigna fefellit heri.
Thaida ſi quis amat, ſua non ſe credat amari.
Thais amore caret, munus amantis amat.

De Patre & Filio. 50

ESt pater, huic natus; hic patri cedere nescit,
Nam facienda fugit, & fugienda facit.
Mens vaga discurrit, & menti consonat ætas.
Mentis & ætatis turbine, fræna fugit.
Ira senis punit pro nati crimine seruos,
Instruit ista senem fabula nota seni.
Cauta bouem vitulumque manus supponit aratro,
Hic subit ille iugum pellit, arator ait:
Gaude, lætus ara, tu quem domat vsus arandi.
A boue maiore discat arare minor.
Non placet vt sudes, sed des exempla minori,
Qui pede qui cornu pugnat abire iugo.
Sic domat indomitum domito boue cautus arator,
Sic veterem sequitur iunior ille bouem.
Proficit exemplo tanto cautela docendi
Maiorique minor credat in arte sua.

De Vipera & lima. 51

VIpera fabrilem, dapis anxia, tendit in ædem.
Incipit hæc limam rodere, lima loqui:
Nescis posse meum, quæ sit mea gloria nescis,
Dente meo pateris, non ego dente tuo.
In tenuem ferrum forti molo dente farinam,
Et cadit attritu, dura farina meo,
Ferrea mordaci castigo tubera morsu,
Aspera plano, seco longa, foranda foro:
Deliras igitur cum dente mineris, inermi
Rideo, quum ferior, vulnera ferre gemis.
Fortis fortem amat, nam fortem fortior angit:
Maiori metuat obuius ire minor.

De Lupis & Ouibus. 52

PVgna Lupis opponit oues, ouiumque satelles
Est canis, est veruex; hac ope fidit ouis.

Palma

Palma diu dormit, desperat turba Luporum,
Et simulans fœdus, fœdere tentat ouem.
Fœdus vtrumque fides iurato numine fulcit,
Id lupus, id simplex obside firmat ouis,
Datque lupis, male sana canem recipitque Luporum
Pignera, nec metuit, nec sua damna videt.
Dum natura iubet natos vlulare Lupinos,
Turba lupina furit, fœdera rupta querens.
Ergo pecus tutoris egens in viscera mergit;
Præside nuda suo, sic tumulatur ouis.
Tutorem retinere suum tutissima res est,
Nam si tutor abest, hostis obesse potest.

De Homine & Securi. 53

QVo teneatur eget, nil ausa secare securis.
Armet eam Lucus, vir rogat, ille fauet.
Vir nemus impugnat, lassans in cæde securim
Arboris omne genus vna ruina trahit.
Lucus ait pereo, mihimet sum causa pericli,
Me necat ex dono rustica dextra meo.
Vnde perire queas, hostem munire cauebis:
Qui dat quo pereat, quem iuuat hoste perit.

De Lupo & Cane. 54

CVm cane sylua lupum sociat. Lupus inquit, amice
Pelle nites, in te copia pulchra patet.
Pro verbis dat verba canis, me ditat herilis
Gratia, cum domino me cibat ipsa domus.
Nocte vigil fures latratu nuncio, tutam
Seruo domum; mihi dat culmus in æde thorum,
Hæc mouet ore lupus, cupio me viuere tecum
Communem capiant otia nostra cibum
Reddit verba canis, cupio te viuere mecum,
Vna dabit nobis mensa, manusque cibum.

Ille

Ille fauet, ſequiturque canem, gutturque caninum
Reſpicit, & quærit cur cecidere pili.
Inquit, ne valeam morſu peccare diurno
Vincula diurna fero, nocte iubente vagor.
Verba lupus reddit, non eſt mihi copia tanti,
Vt fieri ſeruus ventris amore velim.
Ditior eſt liber mendicus, diuite ſeruo.
Seruus habet nec ſe nec ſua, liber habet.
Libertas prædulce bonum; bona cætera condit;
Qua niſi conditur, nil ſapit eſca mihi.
Libertas animi cibus eſt, & vera voluptas.
Qua qui diues erit, ditior eſſe nequit.
Nolo velle meum pro turpi vendere lucro
Has qui vendit opes, hic agit vt ſit inops.
Non bene pro toto libertas venditur auro,
Hoc cœleſte bonum præterit orbis opes.

De ventre & cæteris membris. 55

INcuſant auidi pes & manus, ocia ventris,
Omnia ſolus habes lucra, labore carens.
Nos labor edomuit, te fouit inertia, ſorbes
Omnia, quæ noſtri cura laboris emit.
Diſce pati famis acre iugum, vel diſce labori
Credere, teque tui cura laboris alat
Sic ventri ſeruire negant, ſe venter inanem
Comperit, orat opem, nil dat auara manus.
Ille preces iterat, iterum fugit illa precantem.
In ſtomachi fundo torpet, obitque calor,
Victa fame natura fugit, vis arida fauces
Obſerat, & ſolitum, non ſinit ire cibum.
Vult epulas dare ſera manus, ſed corporis ægri
Perdita non reperans machina, tota perit.
Nemo ſibi ſatis eſt, eget omnis amicus amico;
Si non vis aliis parcere, parce tibi.

De Simia

De Simia & Vulpe. 56

SImia de turpi queritur nate, porrigit aurem
 Vulpes, non recipit mente, ſed aure preces.
Simia ſic fatur, natis vt mihi dedecus ornem,
 Sufficeret caudæ pars mihi parua tuæ.
Quid prodeſt nimia campos inſculpere cauda?
 Quod mihi prodeſſet, eſt tibi pondus iners.
Illa refert: nimio damnas de pondere caudam,
 Eſt breuis eſtque leuis; hæc duo damna queror.
Malo verrat humum, quam ſit tibi cauſa decoris,
 Quam tegat immundas res bene munda nates.
Id nimium nimioque magis ditaret egenum,
 Quod nimium minimo credis auare minus.

De Inſtitore & Aſino. 57

DVm fora feſtinus lucro petit, inſtat aſello
 Inſtitor, & preſſum pondere, fuſte premit.
Ille necem ſperat, nece promittente quietem,
 Sed nece completa, viuere pœna poteſt.
Nam cum bella facit, & timpana pulſat aſelli,
 Hic laſſatur, & hæc pulſa tonante manu.
Cui ſua vita nocet, caueat ſibi rumpere vitam
 Non nece, ſed meriti iure quieſcit homo.

De Ceruo. 58

MOtus voce canum ceruus fugit auia ſyluæ,
 Deſerit, arua tenet, clauſtra bouina ſubit.
Bos ait, aut luci tenebras, aut æquora campi
 Tutius intrares, hinc piger inde leuis.
Huc veniet cuſtoſque boum, ſtabulique magiſter,
 Si duo, vel tantum te videt alter, obis.
Ceruus ait, mihi veſtra necem clementia demat.

Condite

Condite me latebris, vt iuuet vmbra fugam.
Hunc tumulant fœno: præſepe reuiſit arator,
Frondibus & fœno munit alitque boues.
Hic abit, ac ceruus vitaſſe pericula gaudens,
Bobus agit grates; è quibus vnus ait,
Eſt leue vitare cæcum: ſi venerit Argus.
Argum ſi poteris fallere, victor eris.
Centum fert oculos; cui ſe debere fatentur
Et domus & ſerui totaque iura loci.
Res ſua ſollicitat Argum, res altera cæcum
Qui tibi dormitat, ſcit vigilare ſibi.
Hic ſilet. Argus init ſtabulum, bobuſque miniſtrat
Plus æquo tenues viderat eſſe boues
Dum munit præſepe cibo, dum fulgurat ira,
Auſa videre diem cornua longa videt.
Quid latet hic? quid, ait, video? ſentitque latentem
Et bona fortunæ munera lætus habet.
Exulis eſt non eſſe ſuum, vigilare potentis,
Stertere ſeruorum, velle iuuare pii.

De Iudæo & Pincerna. 59

FErt Iudæus opes, ſed onus fert pectore maius
Intus adurit eum cura, laborque foris.
Ergo metu damni, ſibi munere regis amorem
Firmat, vt accepto produce tutus eat.
Regius hunc Pincerna regit, cor cuius adurit
Auri dira fames, qui parat enſe nefas.
Sylua patet, ſubeunt: iudeus in ore ſequentis
Cor notat. ipſe ſequar, inquit, at ille negat
Et gladium nudans nemo ſciet, inqui, tobito:
Ille refert, ſcelus hoc iſta loquetur auis
Proſilit à dumo Perdix: hanc iudice ſignat.
Alter ait ſcelus hoc iſta loquetur auis,
Et rapit enſe caput, & opes metit, & ſcrobe funus
Celat; agit celeres annus in orbe rotas

Per-

Perdices domini cœnæ Pincerna ministrat,
 Ridet, & à risu vix vacat ipse suo.
Rex audire cupit, hic differt dicere caussam.
 Fit locus ambo sedent, hic mouet, ille refert.
Rex dolet, & læto mentitur gaudia vultu,
 Regis concilium consiliumque sedet.
Pincernam crucis esse reum sententia prodit,
 Crux punit meritum iure fauente cruci
Vt perimas quemquam, nullum tibi suadeat aurum;
 Nam decus & vitam mœsta rapina rapit.

De Ciue & Milite. 60

CIuis, Eques sub rege vigent: hic prælia regis,
 Hic dispensat opes; hic vir & ille senex.
Inuidiæ perflata genas ignita doloris
 Flammis fax iuuenem torret honore senis.
Regis in aure truces fingit de ciue querelas,
 Est tibi non pastor, sed Lupus ille senex.
Ditant furta senem, creuit sua copia furtis,
 Et sua de censu gaza recisa tuo est.
Firmabo mea verba manu. sua furta fateri
 Hunc faciam. bello iudice verus ero.
Cum moueant obiecta senem, plus debilis ætas
 Hunc mouet, ac senii crimine nisus hebes.
Parcunt iura seni, si pro sene pugnat amicus,
 Cui nullius amor fenoris arma probat.
Mendicat pugilem. sed abest qui pugnet amicus,
 Nam refugit viso turbine falsus amor.
Dum fortuna tonat fugitiuos terret amicos,
 Et quis amet quis non, sola procella docet.
Cœna trahit ciuem, differt nox vna duellum,
 Sollicitat mensam iusta querela senis.
Quos meritis emi multos mihi fecit amicos
 Longa dies cunctos abstulit hora breuis
De toto amicorum populo non restitit vnus:

Quamque dedi multis, nemo repensat opem.
Rebar pace frui, mea paci congruit ætas.
Sed mea turbauit gaudia liuor edax.
Hosti multa meo palmam pepigere; tepesco,
Ille calet, careo viribus, ille viget.
Arma parum noui, se totum præbuit armis
Est mihi visus hebes, visus acutus ei.
Nil mihi spondet opem, nisi iustæ gratia caussæ
De fragili queritur præside caussa potens.
Corporis eclipsim timet alti copia cordis,
Nam fragili peccat mens animosa manu.
Si turpes nitidæ mendax infamia famæ
Infigit maculas, quid nituisse iuuat?
Desperat, lugetque senex: hunc lenit arator
Qui senis arua colit, annua lucra ferens.
Me stimulat pietas pro te perferre duellum,
Est mihi pro domino dextra parata meo.
Ecce dies oritur, locus est tempusque duelli.
Sunt pugiles. ineunt mente, manuque simul.
Est equiti fœdum, quod stet, qui pugnet, arator
Seque putat victum, ni cito vincat eques.
Nil de se retinet virtus oblita futuri,
Dextera corporeas prodiga fundit opes.
Ictus ipse suos steriles expendit in vsus,
Et feriens hostem se magis hoste ferit.
Sed propriæ virtutis opes abscondit arator,
Dum locus expensæ detur & hora suæ:
Aut motu fallit, aut armis temperat ictus
Prædicitque minas frontis vtrumque iubar.
Dormitans vigilat, & cessans cogitat ictum.
Et metuens audet dextra, notatque locum.
Hæc mora non artis ratio, sed causa timoris
Creditur, arte fruens esse videtur iners.
Gaudet eques, vicisse putans, spernitque bubulcum.
Sudoremque suo tergit ab ore suum.
Ecce moram nescit; equitem speculata morantem

In cubiti nodum rustica claua ferit
Huius plaga loci totius corporis auffert
Robur; cedit eques, seque cadente sedet.
O noua simplicitas! sedet iste, vocatque sedentem
Et nisi surgat eques, surgere velle negat:
Surge, bubulcus ait, cui miles, surgere nolo
Alter ait, sedeas, meque sedere licet.
Turba stupet: Præfectus adest, equitique moranti
Imperat vt pugnet, aut superatus eat.
Hæret eques. Præfectus ait, te vicit arator,
Pugna cadit. Regi panditur ordo rei.
Rex ait incisum noda Præfecte duellum.
Dedecus explanet ille, vel ille suum.
Pugna redit, milesque sedet, velut ante sedebat
Surge bubulcus ait, non volo, miles ait.
Cultor ait, dum stare negas. ego stare recuso.
Surgere si tentas, surgere promptus ero
Ambo sedent, ridet populus, præsesque bubulco
Intonat, aut pugnes, aut fuge: tempus abit
Cultor ait, surgat. caderet si surgere vellet.
Percute Præses ait, percute surget eques
Te decet aut illum victi sibi ponere nomen,
Hoc mihi non ponam nomen, arator ait,
Surgo, surge miser, nam turpe ferire sedentem
Est mihi, sitque tibi turpe sedendo mori.
Sic ait, & timidum multat. rogat iste furentem,
Parce mihi victo, supplico victor abi.
Læta nouat fortuna senem; senis vnicus hæres
Scribitur & dignas intrat arator opes.
Ius superat vires, sors aspera monstrat amicum.
Plus confert odio gratia, fraude fides.
Fine sui versu gemino, quod continet omnes
Fabula declarat; datque quod intus habet.

F I N I S.

LAVRENTII ABSTEMII FABVLÆ.

LAVRENTIVS ABSTEMIVS Octauiano Vbaldino Comiti Mercatelli.

S. P. D.

EDiturus hunc apologorum libellum, quem de numero fabularum hecatomythium nuncupaui, multum diuque dubitaui, Octauiane, princeps inclyte, tuo ne eum nomini potissimum dedicarem. Nam cum tuam in me non sine plurimis beneficiis perspicerem beneuolentiam, non aliquid mearum vigiliarũ tibi deuouere, ingratissimi hominis esse videbatur. Rursus cum tuorũ in me officiorum numerũ diuinasque virtutes tuas mecum ipse reuoluerem, indignum tantis meritis, tantaque sapientia munusculum hoc esse cernebam. Hanc tanta dubitationem meam amouit humanitas & prudentia tua, qua non tam res tibi dono datas, quam offerentium voluntatem soles inspicere. Addidit quoque mihi animum Guidus Vbaldus clarissimus dux, & princeps meus, omni laude maior, qui opusculum meum de nonnullis locis obscuris superiori anno ei dedicatum vultu ita placido & serena fronte suscepit, ut sperare merito possem, hoc tibi qualecunque fore non ingratum. Non mediocriter etiam me incitarunt Georgius Emus pro Venetis hic agens legatus, non solum patritia nobilitate, verum etiam bonarum artium studiis clarus, & Carolus Verardus Cæsenas Archidiaconus Cæsenæ, & Alexandri Pontificis Maximi cubicularius, vir omni literarum genere præstans: nec non Renatus Melioratus, & Robetus Vrsus Ariminenses Iuris-consulti clarissimi, nec minus, quæ humanitatis [illegible]

ſtudiis eruditi. Hi enim aliique complures optimi harum rerum cenſores, cum hunc libellum legiſſent, multis me verbis ſunt ad editionem cohortati. Non putaui igitur tam humano principi hoc munus ingratum futurum, quod tot eruditis ante viris placuiſſe cognoueram. Accipe igitur hoc quicquid eſt libelli ab Abſtemio tuo, cuius mentem animumque ſi penitus poſſes inſpicere, in hac tenui re magnum munus tibi iudicares oblatum. Ne quis autem inutilem & inanem hunc meum ſcribendi laborem exiſtimaret, præfatiunculam quandam præponendam cenſui, qua intelligeretur, doctos etiam & claros viros in magnis rebus huiuſmodi fabellis, non voluptatis tantum, verum etiam vtilitatis gratia delectatos. Sedulo dedimus operam, vt ſeria potius quam iocos ſaperent, vnde ridiculas multas, quæ inter componendum ſeſe mihi offerebant, conſulto præterii, quia nimis laſciuæ, & tanti principis grauamine mihi videbantur indignæ. Non tamen ita agreſtis eſſe volui, quin eas aliqua vrbanitate aſpergerem, maxime ad principem ſcribens, cum principes curarum mole preſſi, ſoleant interdum recreandi animi gratia iocos appetere. Vale.

EIVSDEM ABSTEMII PROOEMIVM.

COgitanti mihi varia ſcriptorum genera, qui vt humanæ vitæ prodeſſent, cogitationes ſuas literarum mandauere memoriæ; Qui apologos ſcripſere, non poſtremo loco digni eſſe videntur. Non enim modo mortalium animos incredibili quadam afficiũt voluptate, verum etiam ad res honeſtas, vtileſque peragendas, ſuis fabellis magis quam Phihiloſophi ſuis præceptis alliciunt. Nam ita in legentium animos quadam iucunditate penetrant, & quibuſdam ſimilitudinibus, quæ maximè ad commouendos animos valent, quid vitandum faciendumque ſit, oſtendunt, vt omnes etiam inuiti, illis aſſentire cogantur. Senſus

autem

autem audiendi fastidiosissimus, res etiam vtiles honestasque haud facile admittit, ni fuerint aliqua vrbanitate conditæ. Testis quidem orator Atheniensis, qui ad Athenienses verba faciens, cum eos minus attentos videret, rogauit vt saltem fabulam audire dignarentur. Quo impetrato: Ceres inquit & hirundo & anguilla simul iter facientes, ad quendam fluuium peruenerunt. Hirundo quidem superuolauit; Anguilla autem amnem tranauit. Quod cum dixisset, obticuit. Interrogantibus autem illis quid Ceres egisset? Vobis, inquit, dea nostra succensuit, qui eos, qui vobis vtilia suadent, audire nolentes, tam attentis auribus confabulantes auditis. Quantam vim apologi habeant ad animos commouendos, cum multis possem, tribus ero contentus exemplis ostendere.

Samiis rectorem populi morti adiicere volentibus. Æsopus hac fabella dissuasit, dicens: Vulpem quandam fluuium transeuntem, in lacunam fuisse propulsam. Vnde cum exire non posset, tenaci limo retenta muscarum affligebatur aculeis. Quod Herinacius conspicatus, misericordia motus est, interrogauitque an vellet, vt ab ea muscas abigeret. At illa abnuit, dicens, hæ meo sanguine iam plenæ, paruam mihi possunt inferre molestiam: si autem has abegeris, aliæ famelicæ superuenient, quæ quicquid mihi superest sanguinis exhaurient. Ita ò viri Samii vobis eueniet. Si enim hunc rectorem vestrum iam locupletem occideritis, alios eligatis necesse est, qui dum se opibus volent implere, quicquid hic vobis reliquit, eripient. His verbis moti Samii, ab incepto destitere.


Hac ratione adductus Tiberius Cæsar, diuturnos magistratus dabat, vnde (vt refert Iosephus) sub eo, per viginti annorum spatia, per duos tantum præsides, Gratum scilicet & Pilatum, est gubernata Iudæa. Non parcit populis regnum breue, vt inquit Statius.

Himerenſes Phalaridem Agrigentinorum tyrannum ducem exercitus ſui eligere volentes, Steſichorus poeta hoc apologo deterruit. Equus, dicens, ſolus paſcebat in prato. Adueniente autem ceruo, & paſcua corrumpente, conſulit hominem, qua poſſet illum arte punire. Cui homo, ſi frenum, inquit, acceperis, & me armatum dorſum tuum aſcendere permiſeris. Cum huic conſilio eſſet obſecutus, ceruum quidem hominis auxilio victor abegit, ſed non amplius hominem dorſo, non frenum depulit ore. Ita, inquit Steſichorus viri Himerenſes vobis eueniet, ſi Phalaridem ducem efficietis, hoſtes quidem veſtros punietis, ſed huic tyranno perpetuo ſeruietis. Quibus verbis territi Himerenſes, huiuſmodi ducis eligendi conſilium depoſuere.

Cum populus Romanus ab Senatu ſeceſſiſſet, quod tributum & militiam toleraret, nec vllo pacto reduci poſſet, nonne Agrippa Menenius cum hoc apologo reuocauit? Olim, inquiens, Quirites, humani artus ventrem ocioſum & deſidem intuentes, ab eo diſcordarunt, nec amplius illi cibum miniſtrare decreuerunt. Sed cum ipſi quoque alimenta illi denegando, quæ per omnia membra deferuntur, deficerent, cum eo in gratiam redierunt. Eodem, inquit, modo, Senatus & populus, quaſi venter & membra, alterum alterius auxilio indigent, & vt diſcordia intereunt, ita concordia valent. Qua fabula populus reuocatus, cum Senatu in gratiam rediit. Non immeritò igitur non ſolum Græci & Latini poetæ, vt Heſiodus & Horatius, huiuſmodi fabulas ſuis operibus inſeruerunt, verum etiam maximi & celeberrimi Philoſophi, vt Plato, Ariſtoteles, Plutarchus, & multi alii plurimum commendarunt, & ad inſtitutionem moralis & ciuilis vitæ non minimum facere arbitrati ſunt. Quocirca Omnibus. Leonicenus, & Laurentius Valla, viri ætatis noſtræ doctiſſimi, paucos Æſopi

ſopi apologos è Græco in Latinum vertere, ſibi laudi, cæteris verò voluptati & vtilitati fore non dubitarunt. Et iure quidem. Leguntur enim, & in doctiſſimorum virorum manibus quotidie verſantur. Non video igitur, cur has componendo fabulas laude fraudari debeam, quam cæteri Latini ex translatione conſecuti ſunt, niſi adeo inuidi ſimus, vt Latinis licere non putemus, quod Græcis eſt cum ſumma omnium laude conceſſum.

De Mure in cista nato. 1



MVs in cista natus, omnem ferè ibi duxerat ætatem nucibus pastus, quæ in ea seruari solebant. Dum autem circa oras cistæ ludens decidisset, quæreretque ascensum, reperit epulas lautissimè paratas; quas cum gustare cœpisset, Quam stultus inquit, hactenus fui, qui toto in terrarum orbe nihil melius cistula mea esse credebam. Ecce quàm suauioribus hic vescor cibis.

Hæc fabula indicat, non ita patriam diligendam, si ignobilis sit, vt alia non adeamus loca, cum alibi beatiores esse possimus.

De Rustico impetrante, vt triticum absque aristis nasceretur. 2

IMpetrauerat à Cerere rusticus quidam, vt triticum absque aristis nasceretur, ne metentium triturantiumque manus læderet. Quod vbi maturuit, à minutis aui-

ris auibus depastum est. Tum rusticus, quàm digna, inquit, patior, qui paruæ commoditatis causa, emolumenta quam maxima perdidi.

Fabula indicat, parua incommoda maiori vtilitate pensanda.

De Accipitre columbam insequente. 3

CVm accipiter columbam præcipiti insequeretur volatu, villam quandam ingressus, à rustico captus est; quem blande, vt se dimitteret, obsecrabat. Non enim te læsi, dicens. Cui rusticus, nec hæc, respondit, te læserat.

Fabula indicat, merito puniri, qui innocentes lædere conantur.

De Aranea & Hirundine. 4

ARanea in hirundinem excandescens, quæ muscas, qui suus est cibus capiebat, retia in foribus, per quas volitare solebat, vt eam caperet, suspenderat: hirundo vero aduolans, retia cum textrice per aera portabat. Tunc aranea in aere pendens, & se iamiam perituram intelligens, quàm iuste hæc patior dicebat, quæ minima volatilia magno labore vix capiens, credidi tam magnas aues posse comprehendere.

Hac admonemur fabula, ne viribus maiora aggrediamur.

De Rustico amnem transituro. 5

RVsticus torrentem transiturus, qui forte imbribus excreuerat, quærebat vadum. Et cum primum eam fluminis partem tentasset, quæ quietior placidiorque videbatur, reperit eam altiorem, quàm animo erat opinatus. Rursus ibi breuiorem, tutioremque

que adinuenit, vbi maiore aquarum ſtrepitu fluuius decurrebat. Tum ſecum, quàm tutius, inquit, clamoſis aquis, quàm quietis & ſilentibus vitam noſtram credere poſſumus.

Hac admonemur fabula, vt minus verboſos & minaces, quàm quietos extimeſcamus.

De Columba & Pica. 6

COlumba interrogata à Pica, quid eam induceret, vt in eodem ſemper loco nidificaret, cum eius pulli inde ſibi ſemper ſurriperentur: ſimplicitas, reſpondit.

Hac indicat fabula, facile eſſe, viros probos ſæpe decipi.

De Cuculo & Accipitre. 7

IRriſus ab accipitre cuculus, quod cum ſibi & corpore par & colore non abſimilis eſſet, præ anguſtia animi potius vermibus terrenis, quàm ſuauibus aliarum auium carnibus veſceretur, vidit paucis poſt diebus accipitrem à ruſtico, cuius columbas inſectabatur, captum, & motu cæterorum ex alta turre pendere, cui cuculus: Quam melius tibi, inquit, amice fuiſſet vermes venari, quam alienas aues impetere.

Hac fabula indicat eorum vitam tutiorem eſſe, & magis probandam, qui ſuis rebus ſine periculo contenti ſunt, quam illorum, qui aliena appetentes, adeunt magna vitæ diſcrimina.

De Aſino & Vitulo. 8

ASinus & vitulus in eodem paſcentes prato, ſonitu campanæ hoſtilem exercitum aduentare præſenſerant. Tum vitulus, fugiamus hinc ò ſodalis, inquit, ne hoſtes nos captiuos abducant. Cui aſinus, fuge tu,

inquit,

inquit, quem hostes occidere & esse consueuerunt. Asini nihil interest, cui vbique eadem ferendi oneris est proposita conditio.

Hæc fabula seruos admonet, ne dominos magnopere mutare formident, modo prioribus deteriores futuri non sint.

De Vulpe & Mulieribus gallinam edentibus. 9

VVlpes iuxta villam quandam transiens, conspexit cateruam mulierum plurimas gallinas, opipare assatas, alto silentio comedentem, ad quas conuersa: Qui clamores, inquit, & canum latratus contra me essent, si ego facerem, quod vos facitis? Cui respondens quædam anus: pessima animalium, inquit, nos quæ nostra sunt comedimus, tu vero aliena furaris.

Hæc fabula nos admonet, ne putemus nobis in aliena licere, quod propriis dominis licet.

De Caponibus pinguibus & macro. 10

VIr quidam complures capones in eodem ornithobosco inclusos largo nutricauerat cibo, qui pingues effecti sunt omnes, præter vnum, quem vt macilentum irridebant fratres. Dominus nobiles hospites lauto & sumptuoso accepturus conuiuio, imperat coco, vt ex his interimat, coquatque quos pinguiores inuenerit. Hoc audientes corpulenti, sese afflictabant dicentes, Quãto præstitisset, nos macilentos esse.

Hæc fabula in pauperum solamen conficta est, quorum vita tutior, quàm diuitum.

De Trabe & Bobus eum trahentibus. 11

TRabs vlmea de bobus conquerebatur, dicens: Ingrati, ego multo tempore meis vos frõdibus alui,

vos vero me nutricem veſtram, per ſaxa & luta trahitis. Cui boues, gemitus, ſuſpiriaque noſtra, & ſtimulus quo pungimur, te docere poſſunt, quod te trahamus inuiti. Ignouit trabs.

Hæc nos docet fabula, ne in eos excandeſcamus, qui non ſua ſponte nos lædunt.

De Arboribus pulchris, & deformi. 12

ARbores complures in eodem creuerant loco proceræ, rectæ, enodeſque, præter vnam humilem, paruam, nodoſamque, quam vt deformem, puſillamque cæteræ ludibrio habere ſolitæ erant. Ædificaturus domum loci dominus, iubet omnes excidi, præter eam, quæ breuitate & deformitate ſua ædificium indecorum redditura videbatur. Cæteris exciſis, deformis hæc ſecum dicebat: De te non amplius querar natura, quod me turpem genueris, cum formoſis tam magna videam imminere diſcrimina.

Hæc fabula nos admonet, ne doleamus nos natos eſſe deformes, cum multis formoſitas ſæpe nocuerit.

De Cygno in morte canente comprehenſo à Ciconia. 13

CYgnus moriens, interrogabatur à Ciconia, cur in morte, quam cætera animalia adeo exhorrent, multo ſuauiores, quàm in omni vita emitteret ſonos, quum potius mœſtus eſſe deberet. Cui cygnus, Quia inquit, neque cibi quærendi cura amplius cruciabor, neque aucupum láqueos extimeſcam.

Hæc fabula nos admonet, ne mortem formidemus, qua omnes vitæ præſentis miſeriæ præciduntur.

De Muliere virum morientem flente, & Patre eam conſolante. 14

Mulie-

MVlierem adhuc iuuenem, cuius vir animam agebat, pater cōsolatur, dicens: Ne te afflictes tātopere filia. Alium enim virum tibi inueni, isto longe formosiorem, qui prioris desiderium facile mitigabit. At mulier doloris impatiens, vt quæ maritum ardenti amore prosequebatur, non modo verba parentis non admittebat, sed intempestiuam alterius mariti mentionem accusabat. At vbi maritum defunctum videt, inter lachrymas & luctus parentem interrogat, an adsit ibi iuuenis ille, quem sibi in virum dare velle se dixerat.

Fabula indicat, quàm cito defunctorum maritorum amor ex vxorum animo excidere soleat.

De Muliere amatoris discessum flente. 15

MVlier impudica amatorem suum abeuntē, quem omnibus ferè rebus spoliauerat, multis lachrymis prosequebatur. Interrogante autem eam vicina, cur ita inconsolabiliter fleret: non discessum eius, inquit, sed pallium, quod ei reliqui, fleo.

Fabula indicat, non amatores, sed eorum bona à meretricibus amari.

De Musca, quæ quadrigis insidens, puluerem se excitasse dicebat. 16

QVadrigæ in stadio currebant, quibus musca insidebat: Maximo autem puluere tum equorum pedum pulsu, tum rotarum volutatione exorto, dicebat musca: Quam magnam vim pulueris excitaui?

Hac fabula ad eos spectat, qui cum ignaui sint, alienam tamen gloriam suis magnificis verbis in se transferre conantur.

De Anguilla conquerente, quod magis quàm serpens infestaretur. 17

ANguilla interrogabat serpentem, quare cum similes essent atque cognati, homines tamen se potius, quàm illum insequerentur: cui serpens, quia rarus, inquit, me lædit impune.

Fabula indicat, minus lædi solere, qui sese vlciscuntur.

De Asino, Simia, & Talpa. 18

COnquerenti asino, quòd cornibus careret. Simiæ vero, quòd cauda deesset. Tacete, inquit talpa, quum me oculis captam esse videatis.

Hæc fabula ad eos pertinet, qui non sunt sua sorte contenti, qui si aliorum infortunia considerarent, æquiori animo tolerarent sua.

De Nautis sanctorum auxilium implorantibus. 19

NAuta quidam in mari subita & atra tempestate deprehensus, cæteris eius sociis diuersorum auxilium implorantibus, Nescitis, inquit, quid petatis. Ante enim, quàm sancti isti ad Deum pro nostra liberatione se conferant, hac imminente procella obruemur. Ad Deum igitur confugiendum censeo, qui absque alterius adminiculo à tantis malis nos poterit liberare. Inuocato igitur Dei omnipotentis auxilio, ilico procella cessauit.

Fabula indicat, vbi potentioris auxilium haberi potest, ad imbecilliores non fugiendum.

De Piscibus è sartagine in prunas desilientibus. 20

Pisces

PIſces adhuc viui in ſartagine feruenti oleo coquebantur, quorum vnus, fugiamus hinc fratres, inquit, ne pereamus. Tunc omnes pariter è ſartagine exilientes, in ardentes prunas deciderunt. Maiori igitur dolore affecti, damnabant conſilium, quod ceperant, dicentes: Quanto atrociori nunc morte perimus?

Hæc nos admonet fabula, vt ita præſentia vitemus pericula, ne incidamus in grauiora.

De Quadrupedibus ſocietatem aduerſus Aues cum Piſcibus ineuntibus. 21

QVadrupedes cum bellum ſibi ab auibus eſſet indictum, cum piſcibus fœdus inierunt, vt eorum auxilio ſe ab auium furore tuerentur. Cum autem optata expectarent auxilia, Piſces negant ſe per terram ad eos accedere poſſe.

Hæc nos admonet fabula, ne eos nobis ſocios faciamus, qui cum opus ſit, nobis adeſſe non poſſunt.

De Legato auaro tubicines decipiente. 22

QVidam auarus pro patria legatus in aliam vrbem profectus erat, cui tubicines præſto adfuerunt, vt illius aures tubarum clangore, loculos autem ſuos pecunia implerent. Quibus ille renunciari iubet, non eſſe nunc locum cantibus, ſe in ſummo luctu & mœrore conſtitutum, matrem enim ſuam obiiſſe. Tubicines autem ſpe fruſtrati, & mœſti abeunt. Amicus quidam legati audiens luctum, ad eum viſendum, conſolandumque accedit, interrogatque quamdiu mater eius obiiſſet. Quadraginta iam anni ſunt, inqnit. Tunc amicus intellecta legati ſtropha, in riſum effuſus eſt.

Hæc fabula ad auaros facit, qui omni arte ſtudent pecuniam conſeruare.

De Viro, qui ad Cardinalem nuper creatum gratulandi gratia accessit. 23

VIr quidam facetus admodum & vrbanus, audiens amicum suum ad Cardinalatus dignitatem assumptum, ad eum gratulandi gratia accessit: qui honore tumidus, amicum veterem agnoscere dissimulans, quisnam esset interrogabat. Cui, vt erat ad iocos promptus: Misereſco, inquit, tibi, cæterisque, qui ad huiusmodi honores perueniunt: quamprimum enim dignitates eiusmodi estis assequuti, visum, auditumque, & cæteros sensus ita amittitis, vt pristinos amicos amplius non recognoscatis.

Hac fabula eos notat, qui in altum sublati, veteres despiciunt amicitias.

De Iuuene Senis curuitatem ridente. 24

IVuenis quidam conspicatus senem in arcus tensi similitudinem curuum: interrogauit, an sibi arcum vellet vendere? Cui ille: Et quid est tibi opus pecuniam amittere? Si enim ad meam perueneris ætatem, absque pecunia arcum tibi natura concedet.

Hac fabula indicat, minime irridenda vitia senilis ætatis quam nemo viuendo effugere potest.

De Sene puellam in vxorem accipiente. 25

VIr quidem imprudens, exacto septuagesimo vitæ anno, puellam duxerat in vxorem, qui ad id tempus in cœlibatu permansisset. Cui cum debitum soluere non posset, dicere solebat: Quam male vitam meam disposui, iuueni enim mihi vxor deerat, nunc autem senex desum vxori.

Hac fabula innuit, omnia suo tempore peragenda.

De Aqui-

De Aquila & Pica. 26

PIca aquilam rogabat, vt se inter suos familiares & domesticos acciperet quando id mereretur cùm corporis pulchritudine, tum ad mandata peragenda, linguæ volubilitate. Cui aquila, hoc facerem respondit, ni vererer, ne quæ intra tegulam fiunt, tua loquacitate cuncta efferres.

Hac fabula monet, linguaces & garrulos domi non habendos.

De Turdo amicitiam cum Hirūdine ineunte. 27

GLoriabatur turdus, se amicitiam contraxisse cum hirundine. Cui mater, stultus es fili, inquit, si credis cum ea posse conuiuere, cum vterque vestrum diuersa soleat appetere loca. Tu enim frigidis, illa tepidis delectatur locis.

Hac monemur fabula, ne eos nobis faciamus amicos, quorum vita à nostra dissentit.

De Rustico & Mure. 28

RVsticus quidam erat admodum pauper, sed adeò facetus, vt ne calamitatis quidem tempore, natiui leporis obliuisceretur. Is cum villam suam casu, igne iniecto, ita ardentem videret, vt aliquo modo ignem extinguere posse diffideret, mœstus spectabat incendium. Interim cernit murem quēdam, qui villæ egressus, periculum quàm ocyssimè fugiebat. Oblitus damnorum, rusticus cucurrit, & murem corripiens, illum in medium iecit incendium, dicens: Ingratum animal, tempore felicitatis mecum habitasti, nunc quia fortuna mutata est, villam meam deseruisti.

Fabula indicat, eos non esse veros amicos, qui arridente

fortuna à latere tuo non discedunt, turbata autem, præcipiti abeunt cursu.

De Heremita virgine ægrotante. 29

INsitum est à natura omnium animalium generi, vt rei venereæ libidine incitentur, à qua si qui homines qui coruo albo rariores sunt, se abstinere volunt, sæpe in graues morbos incidere solent. Quidam igitur heremita ab ipsa adolescentia ita titillationes carnis euicerat, vt vsque ad quintum & vicesimum ætatis annum virgo permaneret. Cum autem in eam ætatem grauissimè ægrotare cœpisset, Medici nullum aliud salutis eius remedium se inuenire dicebant, nisi vt cum aliqua muliere coiret. Diu heremita recusauit, mori se potius velle dicens, quàm virginitatem, rem tam præclaram, & Deo maxime gratam amittere. Assueti enim virtutibus, ægrè illas discedere à se patiuntur. Victus tandem precibus, & cupiditate vitæ, qua nihil homini sanæ mentis dulcius est, adductæ sibi mulieris infusus gremio, placidum petiuit per membra soporem. Experrectus autem vehementer angebatur, & tantam vim lachrymarum effundebat, vt omnes qui aderant, illius misererentur. Quisque igitur eum solari, & vt bono animo esset, hortari, quoniam Deus clementissimus pater ei ignosceret, quia non voluptatis, sed recuperandæ sanitatis causa opus tale patrasset. At ego, inquit, istud non fleo, sed quòd tantam dulcedinem citius expertus non sum.

Hæc indicat fabula, humanam naturam adeò peccatorum illecebris delectari, vt vitiorum voluptatem facile virtutum amaritudini anteponat.

De Diuite quodam & Seruo. 30

VIr erat diues, seruum habens tardi ingenii, quem regem stultorum solebat nuncupare. Ille his verbis sæpius irritatus, statuit hero par referre. Semel enim in herum conuersus: Vtinam, inquit, rex stultorũ essem, in toto enim terrarum orbe, nullum meo latius esset imperium, & tu quoque meo subesses imperio.

Fabula indicat, omnia plena esse stultorum.

De Vidua virum petente. 31

VIdua quædam diues à vicina petebat, vt maritum sibi inquireret, quem nõ coitus gratia, qui ingratus admodum sibi erat, sed ne bona sua dilapidaretur, exoptare se dicebat. Mulier sagax, & viduæ versutias intelligens, se inquisituram pollicetur. Paucis post diebus viduam conueniens, reperi, inquit, tibi virum ex animi tui sententia. Est enim vir prudens, & ad res gerendas natus, & genitalibus caret, quæ tibi cordi non sunt. Cui vidua, abi hinc, inquit, in malam rem cum isto marito tuo lepido, etsi enim coitus appetens non sum, volo tamen habeat, quod nos reconciliet, si quãdo cœperimus esse discordes.

Hæc fabula indicat, nullum matrimonium felix, si clauus defuerit, qui virum & mulierem arctissimè constringit.

De Canibus vrbanis villaticum insequentibus. 32

CAnes cõplures vrbani, quendam villaticum præcipiti insequebantur cursu, quamdiu ille fugit, nec repugnare ausus est. At vbi ad insequentes conuersus subsistit, & dentes ipse quoque ostendere cœpit, omnes pariter substiterunt: nec aliquis vrbanorum illi propinquare audebat. Tunc imperator exercitus, qui fortè ibi aderat, ad suos conuersus milites: Cõmilitones, inquit, hoc spectaculũ nos admonet, ne fugiamus

præsentiora fugientibus, quàm repugnantibus videamus imminere pericula.

De Anu dæmonem accusante. 33

VOlunt homines vt plurimum, quando sua culpa aliquid sibi acciderit aduersi, in fortunam vel in dæmonem culpam conferre, vt se crimine exuãt, adeò omnes sibi indulgent. Hoc dæmon ægrè ferens, cùm videret anum quandam arborem ascendentem, ex qua illam ruituram, & in se culpam collaturam præuiderat, accitis testibus dixit: Videte anum illam absque meo consilio arborem ascendentem, vnde eam casuram esse prospicio. Estote mihi testes, me ei non suasisse, vt soleata illuc ascenderet. Mox anus cecidit, & cum interrogaretur, cur soleata arborem ascendisset, dęmon, inquit, me impulit. Tunc dæmon adductis testibus, probauit id ab anu absque suo factum esse consilio.

Fabula indicat, homines minimè venia dignos, qui cum liberè peccent, fortunam vel dæmonem accusant.

De Testudine & Ranis. 34

TEstudo conspicata ranas, quæ in eodem stagno pascebantur, adeò leues, agilesque, vt facilè quolibet prosilirent, & longissimè saltarent, naturam accusabat, quòd se tardum animal, & maximo impeditum onere, procreasset, vt neque facile se mouere posset, & magna assidue mole premeretur. At vbi vidit ranas anguillarum escam fieri, & cuiuscunque vel leuissimo ictui obnoxias, aliquantulum recreata dicebat: Quanto melius est onus, quo ad omnes ictus munita sum, ferre, quàm tot mortis subire discrimina.

Hæc fabula indicat, ne ægrè feramus dona naturæ, quæ maiori nobis commodo sæpe sunt, quàm nos intelligere valeamus.

De Gli-

De Gliribus quercum eruere volentibus. 35

GLires quercum arborem glandiferam dentibus eruere destinauerant, quo paratiorem haberent cibum, ne victus gratia toties ascendere & descendere cogerentur. Sed quidam ex eis, qui ætate & vsu rerum, ac prudentia cæteros longè anteibat, eos absterruit, dicens: Si nutricem nostram nunc interficiemus, quis futuris annis, nobis ac posteris nostris alimenta præbebit.

Fabula hæc monet, virum prudentem debere non modò præsentia intueri, verùm etiam futura longè prospicere.

De Cane & Hero. 36

CAnem quidam habens, quo magis ab illo diligeretur, semper suis pascebat manibus, ligatumque soluebat. Ligari autem & verberari iubebat a seruo, vt beneficia à se, maleficia autem à seruo in illum viderentur esse collata. Ægrè autem ferens canis se assiduè ligari verberarique aufugit, & cum increparetur à domino vt ingratus, & tantorum beneficiorum immemor, qui se fugisset, à quo semper dilectus pastusq; fuisset, ligatus autem, verberatusque nunquam, respondit: Quod seruus tuo iussu facit, à te factum puto.

Hæc fabula indicat, eos malefactores habendos, qui maleficiorum causa fuere.

De Auibus Scarabeos timentibus. 37

MAgnus timor aues incesserat, ne scarabei arcu pilari eas occiderent, à quibus magnam pilarum vim in sterquilinio summo labore fabricatam audierunt. Tunc passer, nolite, inquit, expauescere. Quomodo enim pilas in nos per aera volantes iacere poterũt, cum eas per terram magno molimine vix trahant.

Hæc fabula nos admonet, ne hostium opes extimescamus, quibus deesse videmus ingenium.

De Vrso & Apibus. 38

VRsus ictus ab ape, tanta ira percitus est, vt aluearia, in quibus apes mellificauerant, tota vnguibus discerperet. Tunc apes vniuersæ, cum domos suas dirui, cibaria auferri, filios necari viderent, facto impetu aculeis vrsum inuadentes, penè necauere. Qui ex earum manibus vix elapsus secum dicebat, quanto melius erat, apis vnius aculeum tolerare, quàm tot in me hostes mea iracundia concitare.

Hæc fabula innuit, longe melius interdum esse, iniuriam vnius sustinere, quàm dum vnum punire volumus, multos nobis inimicos comparare.

De Aucupe & Fringilla. 39



AVceps tetenderat volucribus retia, largamq; illis in area effuderat escam, pascentes tamen aues nō capiebat, quia sibi videbantur paucæ, quibus pastis ac auolan-

auolantibus,aliæ pastum adueniunt: Quas quoq; propter paucitatem capere neglexit. Hoc per totum diem ordine seruato,ac aliis aduenientibus, aliis abeuntibus, illo semper maiorem prædam expectante, tandem aduesperascere cœpit. Tunc auceps amissa spe multas capiendi, quum iam tempus esset quiescendi, attrahens retia, vnam tantum fringillam, quæ infelix in area remanserat, cepit.

Hæc fabula indicat, qui omnia comprehendere volunt, sæpe pauca vix capere posse.

De Milite & Equo. 40

MIles equum habens optimum, emit alium nequaquam illi bonitate parem, quem multo diligentius,quàm priorem nutricabat,tunc priori sic ait: Cur me dominus quàm te impensius curat? quum tibi neq; pulchritudine,neq; robore,neq; velocitate comparandus sim? Cui ille, Est hæc, inquit, hominum natura, vt semper in nouos hospites benigniores sint.

Hæc fabula indicat hominum amentiam, qui noua, etiamsi deteriora sint, solent veteribus anteponere.

De Sue & Cane. 41

SVs irridebat canem odorisequũ, qui domino murmure & cauda adularetur, à quo ad artem aucupatoriam multis verberibus, auriumque vellicationibus fuerat instructus. Cui canis: Nescis,inquit, insane,nescis,quæ ex verberibus illis sim consecutus? per ea enim suauissimis perdicum, coturnicumq; carnibus vescor.

Hæc fabula nos monet, ne iniquo feramus animo præceptorum verbera, quæ multorum bonorum causa esse consueuere.

De Trabe boum pigritiam increpante. 42

TRabs, quæ curru vehebatur, boues vt lentulos increpabat, dicens: currite pigri, onus enim leue portatis. Cui boues, irrides nos, responderunt, ignara quæ te pœna maneat: onus hoc nos citò deponemus, tuum autem tu quoad rumparis, sustinere cogeris. Indoluit trabs, nec amplius boues conuiciis lacessere ausa est.

Hac fabula quemlibet monet, ne aliorum insultet calamitatibus, cum ipse possit maioribus subiacere

De Carduele & Puero. 43

CArduelis auis interrogata à puero, à quo in delitiis habita, & suauibus & largis cibis nutrita fuerat, cur cauea egressa, regredi nollet: Vt meo, inquit, me arbitratu, non tuo pascere possim.

Hac fabula indicat, vitæ libertatem cunctis delitiis anteponendam.

De Scurra & Episcopo. 44

SCurra quidam Cal. Ian. ad episcopum quendam diuitem quidem, sed auarum, accedens, numisma aureum strenæ nomine petiit. Antistes insanire hominē dixit, qui crederet tantam pecuniam sibi in strenam dari. Tunc scurra nummū argenteum efflagitare cœpit. Sed cum ille hoc quoq; nimium sibi videri diceret, æreum quadrantē vt saltem sibi traderet, orabat. Sed cum ne hunc quoque posset ab episcopo extorquere: Reuerende, inquit, pater, saltem benedictione tua me pro strena imperti. Tunc episcopus, flecte, inquit genua, fili, vt te benedicam. At ego, inquit scurra, benedictionem istam tuam tam vilem nolo. Si enim nummū æreum valeret, eam mihi nunq̄ profecto concederes.

Hac

Hæc fabula contra eos episcopos & sacerdotes conficta est, qui diuitias & opes pluris faciunt, quàm cuncta Ecclesiæ sacra atque mysteria.

De Vpupa indigne honorata. 45

INuitatæ ferè omnes aues ad aquilæ nuptias, indignè ferebant vpupam cæteris præferri, quia corona insignis esset, & versicoloribus pennis ornata, cũ semper inter stercora & sordes solita esset volutari.

Hæc fabula stultitiam eorum arguit, qui in hominibus honorandis, potius vestitum, nitorem, præstantiamque formæ, quàm virtutes, moresque soleant attendere.

De Sacerdote & Pyris. 46

SAcerdos quidam gulosus extra patriam ad nuptias proficiscens, ad quas fuerat inuitatus, reperit in itinere pyrorum aceruum, quorum ne vnum quidem attigit, quamuis magna affectus fame, quin potius ea ludibrio habens, lotio consperſit. Indignabatur enim huiusmodi cibos sibi in itinere offerri, qui ad lautas accedebat epulas. Sed cum in itinere torrentem quendam ita imbribus auctum offendisset, vt sine vitæ periculo eum transire non posset, domum redire constituit. Reuertens autem ieiunus, tanta est oppressus fame, vt nisi pyra illa, quæ vrina consperserat, comesset, cum aliud non inueniret, extingueretur.

Hæc fabula monet, nihil esse contemnendum, cum nihil sit tam vile & abiectum, quod aliquando vsui esse non possit.

De Mulo & Equo. 47

MVlus conspiciens equum aureo freno, ephippioq; insignem, & purpureis opertum phaleris, rum-

pebatur inuidia, illum beatum reputans, qui continuò optimis vesceretur cibis, & decoro amiciretur ornatu, se autem præ illo infelicē, qui clitellis malè dolatis oppressus, quotidie maxima onera ferre cogeretur. At vbi vidit equum pugna redeuntē, multis affectum vulneribus, præ illius calamitate se felicem appellabat. Longè melius esse dicens, quotidiano labore durū victū quæritare, & turpiter vestiri, quàm post optimos & delicatos cibos, & tantos ornatus mortis adire discrimina.

Hæc fabula monet, regibus & principibus minimè inuidendum, quia diuitiis & opibus abundent, vt cùm vitam eorum longe pluribus periculis, quàm pauperum videamus esse subiectam.

De Porco & Equo. 48

POrcus conspiciens equum bellatorem, qui cataphractus ad pugnam prodibat: Stulte, inquit, quò properas? in pugna enim fortasse morieris. Cui equus: At tibi inter lutum, sordesque impinguato; quamuis nihil dignum laude gesseris, cultellus adimet vitam: mortem verò meam comitabitur gloria.

Hæc fabula innuit, honestius esse rebus præclarè gestis occumbere, quàm vitam turpiter actam protrahere.

De Coriario emente pellem vrsi à venatore nondum capti. 49

COriarius ad venatorem accedens, emit ab eo pellem vrsi, pecuniamq; pro ea protulit. Ille sibi in præsentia pellem vrsi non esse, cæterū postridie venatum profecturum, vrsoq; interfecto pellem illius ei se daturum pollicetur. Coriarius animi gratia cum venatore in syluam profectus, altissimā arborem ascendit, vt inde vrsi, venatorisq; certamen prospiceret. Venator intrepidus ad antrum, vbi vrsus latebat, profectus, im-

missis canibus, illum exire compulit, qui euitato venatoris ictu, eum prostrauit humi. Tunc venator sciens hanc feram in cadauera non sæuire, anhelitu retento, se mortuum simulabat. Vrsus naribus admotis olfaciens, cum illum nec naso, nec corde spirantem deprehēderet, abscessit. Coriarius cum feram abesse prospiceret, ac nihil amplius adesse periculi, ex arbore se deducens, & ad venatorem, qui nondum surgere audebat, accedens, illum vt surgeret, monebat: interrogauit deinde quid ad aurem ei vrsus loquutus esset. Cui venator: Monuit me, inquit, ne deinceps vrsi pellem vendere velim, nisi eum prius ceperim.

Hæc fabula indicat, incerta pro certis non habenda.

De Heremita & Milite. 50

HEremita quidam vir sanctissimæ vitæ militē hortabatur, vt relicta seculi militia, quam absq; Dei offensa, & animę discrimine pauci exercent, tandem se corporis traderet quieti, & animæ cōsuleret saluti. Cui miles: Faciā, inquit, quod mones pater. Verum enim est, quod hoc temporē milites, neque stipendia exigere valeant, licet exigua sint, neque prædari possint.

Fabula significat, multos vitiis renunciare, quia illa amplius exercere non possunt.


De Viro & Vxore bigamis. 51

VIr quidam defuncta vxore, quam valde dilexerat, duxit alteram, & ipsam viduam, quæ assiduè & prioris mariti virtutes fortiaq; facinora obiiciebat. Cui vt par referret, ipse quoq; defunctæ vxoris mores probatissimos, pudicitiamq; insignem referebat. Quadam autem die viro irata, pauperi eleemosynam petenti, partem caponis, quem in cœnam vtrisq; coxerat, dedit, dicens: Do tibi hoc pro anima prioris viri. Quod audiens

audiens maritus, accersito paupere, reliquum caponis dedit, dicens: Et ego quoq; do tibi hoc pro anima vxoris meæ defunctæ. Sic illi, dum alter alteri nocere cupiunt, quid cœnarent tandem non habuerunt.

Hæc fabula monet, non esse contra eos pugnandum, qui se optime possunt vindicare.

De Leone & Mure. 52



LEo laqueo captus in sylua, cum se ita irretitum videret, vt nullis viribus se inde posse explicare confideret, murem rogauit, vt abroso laqueo eum liberaret, promittens tanti beneficii se non immemorem futurum. Quod cum mus promptè fecisset, leonem rogauit, vt filiam eius sibi traderet in vxorē. Nec abnuit leo, vt benefactori suo rem gratam faceret. Noua autem nupta ad virum veniens, cum eum non videret, casu illum pede pressit, atque contriuit.

Hæc indicat fabula, matrimonia, & cætera consortia improbanda, quæ ab imparibus contrahuntur.

De Vlmo & Silere. 53

Vlmus

VLmus in ripa fluminis nata, siler sibi proximum irridebat, vt debile & inualidum, quod ad omnem vel leuissimum vndarum impetum flecteretur, suam autem firmitatem & robur magnificis extollebat verbis, quod multos annos assiduos amnis impetus inconcussa pertulerat. Semel autem maxima vndarum violentia vlmus perfracta, trahebatur ab aquis. Cui siler ridens, inquit: Cur me deseris vicina, vbi est nunc fortitudo tua?

Fabula significat, sapientiores esse, qui potentioribus secedunt, quàm qui resistere volentes turpiter superantur.

De Cera duritiam appetente. 54

CEra ingemiscebat se mollem, & cuicunq; leuissimo ictui penetrabilem procreatam. Vidēs autem lateres ex luto multo se molliori factos in tantam duritiam ignis calore peruenisse, vt multa perdurarent secula, se iecit in ignem, vt eandem duritiam cōsequeretur. Sed statim igne liquefacta, consumpta est.

Hac admonemur fabula, ne appetamus, quod est nobis natura denegatum.

De Agricola militiam & mercaturam affectante. 55

AGricola quidam ægrè ferebat se assiduè terram voluere, nec perpetuis laboribus ad magnas diuitias peruenire, cum nonnullos videret milites, qui actis præliis, ita rem auxerant, vt bene induti incederent, & lautis epulis nutriti, beatam agerent vitam. Venditis igitur ouibus, capris, ac bobus, equos emit & arma, & in militiam profectus est. Vbi quum ab imperatore suo malè pugnatum esset, non solum quæ habebat perdidit, sed etiam pluribus vulneribus affectus est. Quare damnata militia, mercaturam exercere statuit, vt vbi maius lucrum, & minorē laborem æstimabat. Prædiis igitur

igitur venditis, cùm nauem mercibus impleuisset, nauigare cœperat, sed quum in alto esset, tempestate subitò coorta nauis submersa est, & ipse cum cæteris qui in ea erant, àd vnum omnes periere.

Hæc fabula monet, quemlibet debere sua sorte esse contentum, cum vbique sit parata miseria.

De Asino & Scurra. 56

Asinus indignè ferens scurram quendã honorari, & pulchris vestibus amiciri, quia magnos ventris edebat sonos, ad magistratus accessit, petens ne se minus quàm scurram honorare vellent. Et quum magistratus admirãtes eum interrogarent, cur se ita honore dignum duceret, inquit, quia maiores quam scurra crepitus ventris emitto, eosque absque fœtore.

Hæc fabula eos arguit, qui in rebus leuissimis suas pecunias profundunt.

De Amne suum fontem conuiciis lacessente. 57

Amnis quidam suum conuiciis fontem lacessebat, vt inertem, quòd immobilis staret, nec vllos haberet pisces, se autem plurimum commendabat, quòd optimos crearet pisces, & per valles blando murmure serperet. Indignatus fons in amnem velut ingratum, vndas repressit. Tunc amnis & piscibus & dulci sono priuatus euanuit.

Hæc fabula eos notat, qui bona, quæ agunt, sibi arrogant, non Deo attribuunt, à quo largo fonte nostra bona procedunt.

De Viro maligno & Dæmone. 58

Vir malignus quum plurima perpetrasset scelera, & sæpius captus, & carcere conclusus arctissima & per-

& peruigili custodia teneretur, dæmonis auxilium implorabat, qui sæpenumero illi affuit, & è multis eum periculis liberauit. Tandem iterum deprehenso, & solitum auxilium imploranti, dæmon magnum calceorum pertusorum fascem super humeros habens apparuit, dicens: Amice, amplius tibi auxilio esse non possum, tot enim loca pro te liberando hactenus peragraui, vt hos omnes calceos contriuerim. Nulla mihi superest pecunia, qua alios valeam comparare. Quare pereundum est tibi.

Hac admonet fabula, ne existimemus nostra semper impunita fore peccata.

De Auibus plures reges eligere volentibus. 59

AVes consultabant de pluribus regibus eligendis, cum aquila tantos volucrum greges sola regere non posset, fecissentq; voto satis, nisi cornicis monitu a tali consilio destitissent: quæ quum causam rogaretur, cur non plures reges duceret eligendos, quia difficilius, inquit, plures, quàm vnus saccus implentur.

Hac fabula docet, longè melius ab vno, quàm à multis principibus gubernari.

De Muliere, quæ pro viro se mori velle dicebat. 60

MAtrona quædam admodum pudica, & viri amantissima, ægrè ferebat maritum aduersa valetudine detineri. Lamentabatur, ingemiscebat, & vt suum in virum amorem testaretur, rogabat mortem, vt si maritum sibi esset ereptura, se potius quàm illum vellet occidere. Inter hæc verba, mortem cernit horribili aspectu venientem, cuius timore perterrita, & iam sui voti pœnitens: Non sum ego, inquit, quem petis, iacet ibi in lecto, quem occisura venisti.

Hæc fabula indicat, neminem esse adeò amantem amici, qui non malit sibi benè esse, quàm alteri.

De Adolescente in funere matris canente. 61

VIr quidam defunctam vxorem, quæ ad sepulchrũ efferebatur, lachrymis & fletibus prosequebatur. Filius verò eius canebat, qui cum à patre increparetur, vt amens & insanus, qui in matris funere cantaret, cùm vnà secum mœstus esse, & flere deberet, inquit: pater mi, si sacerdotes vt canerent, conduxisti, cur mihi irasceris gratis concinenti? Cui pater: Non tuum, inquit, & sacerdotum est idem officium.

Fabula indicat, non omnia omnibus esse decora.

De Viro Zelotypo, qui vxorem dederat custodiendam. 62

VIr Zelotypus, vxorem, quam parum pudice viuere compererat, cuidam amico, cui plurimum fidebat, dederat custodiendam, ingentem pollicitus pecuniam, si eam ita diligenter obseruaret, vt nullo modo coniugalem violaret copulam. At ille vbi aliquot dies expertus, custodiam hanc nimis difficilem, & ingeniũ suum versutia mulieris vinci comperisset, ad maritum accedens dixit, se amplius nolle hanc tam duram gerere prouinciam, quandoquidem ne Argus quidem, qui totus oculeus fuit, mulierem inuitam possit custodire. Addidit præterea, si necesse sit malle se anno integro saccum plenum pulicibus quotidie in pratum deferre, solutoque sacco eos inter herbas pascere, vespereque facto, omnes domum reducere, quàm vna die impudicam mulierem seruare.

Hæc fabula indicat, nullos custodes esse tam diligentes, qui impudicas mulieres valeant custodire.

De viro

De viro clysteria recusante. 63

VIr quidam natione Germanus, diues admodum, ægrotabat, ad quem curandũ plures accesserant medici (ad mel enim cateruatim conuolant muscæ) quorum vnus inter cætera dicebat; opus esse clysteribus, si vellet conualescere. Quod cum vir huiusmodi insuetus medicinæ audiret, furore percitus, medicos domo eiici iubet, dicens: eos esse insanos, qui cùm caput sibi doleret, podici vellent mederi.

Hæc fabula innuit omnia etiam salutaria insuetis & inexpertis aspera & obfutura videri.

De Asino ægrotante & Lupis visitantibus. 64

ASinus ægrotabat, famaque exierat, eum cito moriturum, ad eum igitur visendum, cum lupi canesque venissent, peterentque à filio; quomodo pater eius se haberet. Ille per ostii rimulam respondit: Melius quam velletis.

Hæc indicat fabula, quòd multi fingunt molestè ferre mortem aliorum, quos tamen cupiunt celeriter interire.

De Muliere & Nuce. 65

MVlier quædam interrogabat nucem secus viam natam, quæ à prætereunte populo saxis impetebatur, quare esset ita amens, vt quo pluribus maioribusque verberibus cæderetur, eo plures præstantioresque fructus procrearet. Cui iuglans: Es ne, inquit, prouerbii immemor ita dicentis:

Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati,
Hæc tria nil rectè faciunt, si verbera cessent.

Hæc fabula innuit, sæpe homines propriis iaculis solere se confodere.

De Asino laborum finem non inueniente. 66

ASinus hyberno tempore plurimum angebatu quod nimio afficeretur frigore, & durum pale rum haberet victum Quare vernam temperiem, & t neras herbas optabat. Sed cum ver aduenisset, coger turq; à domino, qui figulus erat, argillam in aream, ligna in fornacem, indeq; lateres, imbrices, tegulas diuersa loca deferre, pertæsus veris, in quo tot labor tolerabat, æstatem omnibus votis expetebat, vt dom nus messe impeditus eum quiescere pateretur. S tunc quoque cùm messes in aream, & inde domum t ticum ferre cõpelleretur, nec quieti locus sibi esset, a tumnum saltem laborum finem fore sperabat: Sed bi ne tunc quoque malorum terminum adesse cern bat. cùm quotidie vinum, poma, ligna portanda e sent rursus hyemis niues & glaciem efflagitabat, nunc saltem aliqua sibi requies à tantis laboribus co cederetur.

Hæc fabula indicat, nullas esse præsentis vitæ tempor quæ non perpetuis sint subiecta laboribus.

De Mure, quæ cum Fele amicitiam contrahere volebat.

MVros complures in cauo parietis commorant contemplabantur felem, quæ in tabulato capi demisso, & tristi vultu recumbebat. Tunc vnus ex ei hoc animal, inquit, benignum admodum & mite vid tur. Vultu enim ipso sanctimoniam quandam præfer volo ipsum alloqui, & cum eo indissolubilem necte amicitiam. Quæ cùm dixisset & propius accessisset, fele captus, & dilaceratus est. Tunc cæteri hæc vider tes, secum dicebant: Non est profecto, non est vult temere credendum.

Hæc fabula innuit, non ex vultu, sed ex operibus h mines iudicandos, cum sub ouili pelle sæpe atroces lupi d lite scant.

De Asin

De Asino, qui heró ingrato seruierat. 68

ASinus, qui viro cuidam ingrato multos annos inoffenso pede seruierat, semel, vt fit, dum sarcina pressus esset graui, & salebrosa incedit via, sub onere ceciderat. Tunc dominus implacabilis multis verberibus surgere cōpellebat, pigrum animal & ignauū nuncupans. At ille miser inter verbera hæc secum dicebat: Infelix ego, quàm ingratum sortitus sum herum, Nam quamuis ei multo tempore sine offensa seruierim, tamen non hoc vnum delictum tot meis pristinis beneficiis compensat.

Hæc fabula in eos conficta est, qui beneficiorum sibi collatorum immemores, etiam minimam benefacto, is sui in se offensam atroci pœna prosequuntur.

De Lupo suadente histrici, vt tela deponeret. 69

LVpus esuriens in histricem intenderat animum, quem tamen quia sagittis vndiq; munitus erat, inuadere non audebat. Excogitata autem eum perdendi astutia, illi suadere cœpit, ne pacis tempore tantum telorum onus tergore portaret, quandoquidem ne alii quidem sagittarii, nisi cum prælii tempus instaret, portarent. Cui histrix: aduersum lupum, inquit, semper præliandi tempus esse credendum esse.

Hæc fabula innuit, virum sapientem oportere aduersus inimicorum & hostium fraudes semper esse munitum.

De Mure liberante Miluum. 70

MVs conspicatus miluum laqueo aucupis implicitum, misertus est aui, quamuis sibi inimicæ abrosisque dente vinculis, euolandi viam fecit. Miluus tanti immemor beneficii, vbi se solutum vidit, murem

nil tale suspicantem corripiens, vnguibus & rostro l ceravit.

Fabula indicat, malignos viros huiusmodi gratias su benefactoribus solere rependere.

De Cochlea petente ab Ioue, vt suam domum secum ferre posset.

CVm Iupiter ab exordio mundi singulis animal bus munera, quæ petiissent, elargiretur, cochl ab eo petiit, vt domum suam posset circumferre. Inte rogata à Ioue, quare tale ab eo munus exposcere quod illi graue & molestum futurum erat. Malo, i quit, tum graue onus perpetuo ferre, quàm, cum mi libuerit, malum vicinum non posse vitare.

Fabula indicat, malorum vicinitatem omni incomm do fugiendam.

De Erinaceo Viperam hospitem eiiciente. 7

ERinacius hyemem aduentare præsentiens, bland viperam rogauit, vt in propria illius cauerna ad uersus vim frigoris locum sibi concederet. Quod cur illa fecisset, erinacius huc illuc se prouoluẽs spinarur acumine viperam pungebat, & vehementi dolore tor quebat. Illa malè secum actum videns, quando erina cium suscepit hospitio, blandis eum verbis vt exiret, o rabat, quandoquidem locus ambobus esset angustus Cui erinacius: Exeat, inquit, qui hic manere non po test. Quare vipera sentiens sibi locum ibi non esse, ill cessit hospitio.

Fabula indicat, eos in consortia non admittendos, qu nos possint eiicere.

De Lepore sese vulpi præferente, ob pedum velocitatem. 7

Lepu

Epus ſeſe dignum reputabat, qui vulpi præferre-
tur, quoniam longe illam pedum pernicitate ſu-
rabat. Tunc vulpes: At ego, inquit, ingenium ſum
rtita præſtantius, quo ſæpius, quam tu pernicitate
a canes eludó.

*Hac indicat fabula, corporis velocitatem & vires ab in-
nio longè ſuperari.*

De Sene ob impotentiam libidinem carnis relinquente. 74

VIr quidam ſanctitate præditus ſingulari, ſenem quendam admonebat, vt tandem vitium libidinis mitteret, cui vehementer inſudarat. Cui ſenex: Obmperabo, inquit, pater ſancte, ſanctiſſimis optimiſq; lmonitionibus tuis. Nam vſum Veneris admodum ibi obeſſe ſentio. & virga amplius non arrigitur.

Fabula indicat, multos non amore virtutis & Dei, ſed more pœnæ & impotentia conſuetis vitiis ſolere deſiſtere.

De Agricola & Poeta. 75

AGricola quidam ad poetam accedens, cuius agros colebat, cum eum inter libros ſolum offendiſſet, nterrogauit eum, quo pacto ita ſolus viuere poſſet. Cui ille: Solus, inquit, tantum eſſe cœpi, poſtquam te uc contuliſti.

Hac indicat fabula, eruditos viros, qui doctiſſimorum irorum turba continuè ſtipantur, tunc ſolos eſſe, cum inter lliteratos homines fuerint.

De Lupo ouis pelle induto, qui gregem deuorabat. 76

LVpus ouis pelle indutus, ouium ſe immiſcuit gregi, quotidieque aliquam ex eis occidebat. Quod

cum pastor animaduertisset, illum in altissima arbore suspendit. Interrogantibus autem cæteris pastoribus, cur ouem suspendisset, aiebat: Pellis quidem (vt videtis) est ouis, opera autem erant lupi.

Hæc indicat fabula, homines non ex habitu, sed ex operibus iudicandos, quoniam multi sub vestimentis ouium lupina faciunt opera.

De Patre filium ad virtutes frustra hortante. 77

PAter quidam filium vitiis deditum, multis hortabatur verbis, vt derelicta vitiorum via, virtutibus inuigilaret, quæ ei laudem & decus erant pariturae. Cu[i] filius: Frustra, inquit, pater ad hæc facienda hortaris. Multos enim prædicatores (vt aiunt) audiui, qui longe te melius ad virtutum hortabantur viam, nunquam tamen eorum admonitionibus obsecutus sum.

Fabula indicat, viros malignæ naturæ, nullius hortatu a vitiis velle desistere.

De Cane oues domini sui occidente, à quo suspensus est. 7[8]

PAstor quidam cani oues suas dederat custodienda[s] optimis illum pascens cibis. At ille sæpe aliquan[dam] ouem occidebat. Quod cum pastor animaduertisset canem capiens, eum volebat occidere. Cui canis: Qui[d] me, inquit, perdere cupis, sum vnus ex domesticis tuis; interfice potius lupum, qui continue tuo insidiatur o[]uili. Imò, inquit, pastor, te, quam lupum morte digni[orem] magis puto. Ille enim palam se meum hostem profite[tur], tu vero sub amicitiæ specie quotidie meum immi[]nuis gregem.

Hæc innuit fabula, longe magis puniendos, qui sub am[i]citiæ specie nos lædunt, quàm qui aperte se nostros inimic[os] profitentur.

De Ariet[e]

De Ariete cum Tauro pugnante. 79

ARies quidam inter lanigeros greges, erat tanta cornuum, & capitis firmitate, vt cæteros arietes statim facileque superaret. Quare cùm nullum amplius arietem inueniret, qui occursanti sibi auderet obsistere, crebris elatus victoriis, taurum ausus est ad certamen prouocare. Sed primo congressu, cum in tauri- nam frontem arietasset, tam atroci ictu repercussus est vt ferè moriens hæc diceret: Stultus ego, quid egi? cur tam potentem aduersarium ausus sum lacessere, cui me imparem creauit natura?

Fabula indicat, cum potentioribus non esse decertandum.

De Vidua & Asino viridi. 80

VIdua quædam cœlibatum exosa, nubere cupiebat, sed non audebat, verita vulgi irrisiones, qui maledictis eas solet incessere, quæ ad secundas transeunt nuptias. Sed commater eius, quàm contemnendæ essent populi voces, hac arte monstrauit. Iussit enim asinum album, quem vidua habebat, viridi colore depingi, & per omnes vrbis vicos circũduci. Quod dum fieret, tanta admiratio ab initio omnes inualerat, vt non solum pueri, verum etiam senes hac re insolita moti, asinum animi gratia concomitarentur. Deinde cum huiusmodi animal quotidie per vrbem duceretur, desierunt admirari. Itidem, inquit ad viduam commater, eueniet tibi: si enim virum acceperis, per aliquot dies eris fabula vulgi, deinde hic sermo conticescet.

Hæc fabula indicat, nullam rem esse tanta dignam admiratione, quæ diuturnitate temporis, non desinat esse miraculum.

De Aquila filios Cuniculi rapiente. 81

AQuila in altissima arbore nidulata, catulos cuniculi, qui longè inde pascebantur, in escam pullorum suorum rapuerat. Quam cuniculus blandis orabat verbis, vt suos sibi filios restituere dignaretur. At illa eum vt pusillum & terrestre animal, & ad sibi nocendum impotens arbitrata, eos in conspectu matris vnguibus dilacerare, & pullis suis epulandos apponere non dubitauit. Tunc cuniculus filiorum morte commotus, hanc iniuriam minimè impunitam abire permisit: arborem enim, quæ nidum sustinebat, radicitus effodit. Quæ leui impulsu ventorum procidens, pullos aquilæ adhuc implumes, & inuolucres in humum deiecit, qui à feris depasti, magnum doloris solatium cuniculo præbuerunt.

Hæc fabula indicat, neminem potentia sua fretum, debere imbecilliores despicere, cum aliquando infirmiores potentiorum iniurias vlciscantur.

De Lupo pisce fluuii, maris regnum affectante. 82

LVpus piscis erat in amne quodam, qui pulchritudine, magnitudine, ac robore, cæteros eiusdem fluminis pisces excedebat. Vnde cuncti eum admirabantur, & tanquam regem præcipuo prosequebantur honore. Quare in superbiam elatus, maiorem principatum cœpit appetere. Relicto igitur amne, in quo multos annos regnauerat, ingressus est mare, vt eius regnum sibi vendicaret. Sed offendens delphinum miræ magnitudinis, qui in illo regnabat, ita ab illo insectatus est, vt aufugiens vix amnis ostium ingrederetur, vnde amplius non est ausus exire.

Hæc fabula nos admonet, vt rebus nostris contenti, ea non appetamus, quæ nostris viribus sunt longè maiora.

De Oue

De Oue pastori conuiciante. 83

OVis conuiciabatur pastori, quod non contentus lacte, quod in vsum suum, filiorumq; ab ea mulgebat, insuper vellere illam denudaret. Tunc pastor iratus, filium eius trahebat ad mortem. Ecquid, inquit ouis, peius mihi facere potes? Vt te, inquit, occidam, & lupis canibusque proiiciam deuorandam. Siluit ouis maiora adhuc mala formidans.

Hæc fabula indicat, non debere homines in Deum excandescere, si diuitias, si filios ipsis permittat auferri, cum etiam maiora, & viuentibus & mortuis, possit inferre supplicia.

De Autiga & Rota currus stridente. 84

AVriga interrogabat currum, quare rota, quæ erat deterior, strideret, cum cæteræ idem non facerēt. Cuius currus: Ægroti, inquit, semper morosi, & queruli esse consueuerunt.

Hæc indicat fabula, mala solere homines ad querimoniam semper impellere.

De Viro amicos experiri volente. 85

VIr quidam diues admodum & liberalis, magnam habebat amicorum copiam, quos ad cœnam sæpissime inuitabat, ad quem libentissime accedebant. Volens autem experiri, an in laboribus & periculis sibi fideles essent, omnes pariter conuocauit, dicens, obortos sibi inimicos, ad quos perdēdos ire statueret. Quare correptis armis secum irent, vt illatas sibi vlciscerentur iniurias. Tunc omnes, præter duos, sese excusare cœperunt. Cæteris igitur repudiatis, illos duos tantum in amicorum numero habuit, quos deinde singulari amore prosequutus est.

Hæc indicat fabula, aduersam fortunam amicitiæ experimentum esse quàm optimum.

De Vulpe carnem leporis cani laudante. 86

VVlpes cum fugaretur à cane, & iamiam esset capienda, nec vllam aliam euadendi viam inuenire se posse cognosceret: Quid me, inquit, ò canis, perdere cupis, cuius caro tibi vsui esse non potest? Cape potius leporem illum (non procul enim lepus aberat) cuius carnem suauissimam mortales esse commemorat. Canis igitur motus consilio vulpis, omissa vulpe leporem insecutus est, quem tamen ob incredibilem eius velocitatem capere non potuit. Paucis post diebus lepus conueniens vulpem, vehementer eam accusabat (verba enim eius audiuerat) quod se cani demonstrasset. Cui vulpes: Quid me accusas lepus, quæ te tantopere laudaui? Quid diceres, si te vituperassem?

Hæc indicat fabula, multos mortales sub laudationis specie aliis perniciem machinari.

De Lepore calliditatem, & Vulpe celeritatem à Ioue petentibus. 87

LEpus & vulpes à Ioue petebant: hæc vt calliditati suæ pedum celeritatem: ille vt velocitati suæ calliditatem adiungeret, quibus Iupiter ita respondit: Ab origine mundi è sinu nostro liberalissimo singulis animantibus sua munera sumus elargiti. Vni autem omnia dedisse, aliorum fuisset iniuria.

Hæc innuit fabula, Deum singulis sua munera ita esse æquali lance largitum, vt quisque esse debeat sua sorte contentus.

De Equo inculto, sed veloci, & cæteris eum irridentibus. 88

Equi

EQui complures ad Circenses ludos fuerant adducti, pulcherrimis phaleris ornati, præter vnum, quem cæteri vt incultum, & ad huiusmodi certamen ineptum irridebant, nec vnquam victorem futurum opinabantur. Sed vbi currendi tempus aduenit, & dato tuba signo, cuncti è carceribus exiliere, tum demum innotuit, quanto hic paulo ante irrisus, cæteros velocitate superaret. Omnibus enim aliis post se longo interuallo relictis, palmam assecutus est.

Fabula indicat, non ex habitu, sed ex virtute homines iudicandos.

De Rustico per vocem hœdi ad Iurisconsultum admisso. 89

RVsticus quidã graui lite implicitus, ad quendam iurisconsultum accesserat, vt eo patrono sese explicaret. At ille aliis negociis impeditus, renunciare iubet, se non posse nunc illi vacare. Quare abiret, alias rediturus. Rusticus qui huic vt veteri, fidoque amico plurimum fidebat, pluries rediens nunquam admissus est. Tandem hœdum adhuc lactantem & pinguem secum deferens, ante ædes Iurisperiti stabat, & hœdum vellicans illum balare cogebat. Ianitor, qui ex præcepto heri dona portantes statim admittere solebat, audita hœdi voce, ianuam ilico aperiens, hominem introire iubet. Tunc rusticus ad hœdum conuersus, gratias, inquit, ago hœdule mi, qui tam faciles mihi has effecisti fores.

Fabula indicat, nullas res tam duras difficilesque esse, quas munera non aperiant.

De Adolescente ex coitu infirmo, & Lupo. 90

ADolescens quidam vxorem duxerat, & ipsam quoq; adolescentulam, formosam admodum, & libidi-

libidinosam, cuius effrenæ libidini dum satisfacere cupit, ita lumbos exhausit, vt paucis diebus macilentus fieret, & mortuo magis quam viuo sim lis videretur. Non ingredi, non stare, non aliquod opus facere poterat. Vt senex quidam apricatione gaudebat. Dum ergo in aprico stans loco, calore solis sese calefaceret, accidit, vt venatores qui lupum fuerant insectati, illac iter haberent, quos cum adolescens interrogaret, cur lupum non cœpissent: ob incredibilem, inquiunt, illius velocitatem, illum assequi non potuimus. Tunc ait adolescens: Vxorem profecto hic lupus habere non debet, si enim vxori iunctus esset, nunquam tanta pedum pernicitate polleret.

Hæc indicat fabula, neminem esse adeò robustum & fortem, quem nimius veneris vsus non infirmum & debilem reddat.

De Sene iuuenem poma sibi surripientem saxis deiiciente. 91

SEnex quidam iuuenem sibi poma surripientē, blandis orabat verbis, vt ex arbore descenderet, nec res suas vellet auferre. Sed cum incassum verba funderet, iuuene eius ætatem ac verba contemnente, non in verbis tantum, inquit, verumetiam in herbis audio esse virtutem. Herbas igitur vellere, & in illum iacere cœpit. Quod iuuenis conspicatus in vehementem risum effusus est, & senem delirare arbitrabatur, qui crederet eum ex arbore herbis posse depellere. Tunc senex omnia experiri cupiens, quando, inquit, verborum & herbarū vires aduersus raptorem mearum nullæ sunt, lapidibus agam, in quibus quoq; dicunt esse virtutē, lapidesque, quibus gremium impleuerat, in iuuenem iaciens, illum descendere & abire coegit.

Hæc fabula indicat, omnia prius sapienti tentanda, quàm ad armorum confugiatur auxilium.

De Lu-

De Luſcinia cantum accipitri pro vita pollicente. 92

LVſcinia ab accipitre famelico comprehenſa, cum ſe ab eo deuorandam intelligeret, blande eum rogabat, vt ſe dimitteret, pollicita pro tanto beneficio ingentem mercedem ſeſe relaturam. Cum autem accipiter eam interrogaret, quid gratiæ ſibi referre poſſet: Aures, inquit, tuas, mellifluis cantibus demulcebo. At ego, inquit, accipiter, malo mihi ventrem demulceas, ſine tuis n. cantibus viuere, ſine cibo vero non poſſum.

Hac fabula innuit, vtilia iucundis anteponenda.

De Leone Porcum ſibi ſocium eligente. 93

LEo cum ſocios aſciſcere ſibi vellet, multaque animalia ſeſe illi adiungere optarent, idque precibus & votis expoſcerent, cæteris ſpretis, cum porco ſolum ſocietatem voluit inire, rogatus autem cauſam, reſpondit: Quia hoc animal adeò fidum eſt, vt amicos & ſocios in nullo quantumuis magno diſcrimine vnquam relinquat.

Hac fabula docet, eorum amicitiam appetendam, qui aduerſitatis tempore à præſtando auxilio non referunt pedem.

De Culice cibum & hoſpitium ab Ape petente. 94

CVlex hyberno tempore, cum & fame & frigore ſe periturum coniiceret, ad apium acceſſit aluearia, ab eis cibum & hoſpitium petens. Quæ ſi ab eis fuiſſet conſecutus, promittebat filios earum ſe artem muſicam edocturum. Tunc quædam apis, at ego, inquit, artem meam malo liberi mei diſcant, quæ eos à famis & frigoris periculo eximere poterit.

Fabula

Fabula nos admonet, vt liberos nostros his artibus erudiamus, quæ eos ab inopia valeant vendicare.

De Asino tubicine & Lepore tabellario, 95

LEo rex quadrupedum aduersus volucres pugnaturus, suorum acies instruebat. Interrogatus autem ab vrso, quid ei asini inertia, aut leporis timiditas ad victoriam conferre possent, quos ibi inter cæteros milites adesse cernebat, respondit: Asinus tubæ suæ clangore milites ad pugnam concitabit, lepus verò ob pedum celeritatem, tabellarii fungetur officio.

Fabula significat, neminem adeo contemptibilem, qui aliqua re nobis prodesse non possit.

De Accipitribus inter se inimicis, quos columbæ pacauerant. 96



ACcipitres inuicem inimici, quotidie decertabant, suisque odiis occupati, alias aues minimè infestabant. Columbæ eorum vicem dolentes, eos missis legatis, composuere. Sed illi, vbi inter se amici effecti sunt,

ſunt; cæteras aues imbecilliores & maximè columbas vexare,& occidere non deſinebāt. Tunc ſecum columbæ: quàm vtilior accipitrum diſcordia, quàm concordia nobis erat?

Hæc monet fabula, malorum inter ſe ciuium odia alenda potius, quàm extinguenda, vt dum inter ſe digladiantur, viros bonos quieto viuere permittant.

De Muliere ignem in mariti domum ferente. 97

VIr quidam prudens vxorem ducebat. Interrogatus autem ab amicis, quid ſibi vellet facula illa, quā noua nupta accenſam à paterna domo effert, rurſuſq; mariti domum ingreſſura accendit,& introfert, Significat, inquit, me hodie ignem è ſoceri mei ædibus ablatum, in domum meam inferre.

Fabula ſignificat, ſæpenumero mulieres ignem quendam eſſe, qui mariti bona comburit.

De Prætore repetundarum damnato. 98

PRætor, qui prouinciam, cui præfuerat, expilauerat, repetundarum accuſatus fuerat. Cumque ægrè ablata reſtitueret, dicebat quidam è prouincialibus: hic noſter Prætor mulieres imitatur, quæ fœtus concipientes mira voluptate afficiuntur, cùm autem eos emittunt, incredibili dolore torquentur.

Fabula ſignificat, aliena non eſſe ſurripienda, ne illa deponere coacti, mœrore conficiamur.

De Sene mortem differre volente. 99

SEnex quidam mortem, quæ eum è vita raptura aduenerat, rogabat, vt paulululum differret, dum teſtamentum conderet,& cætera ad tantum iter neceſſaria præpararet. Cui mors, cur non, inquit, hactenus præpa-

raſt



fuisti toties a me admonitus? Et quum ille eam nunquam à se visam amplius diceret: Quum, inquit, non æquales tuos modò, quorum nulli ferè iam restant, verum etiam iuuenes, pueros, infantes quotidie rapiebam, non te admonebam mortalitatis tuæ? Cum oculos hebescere, auditum minui, cæterosque sensus indies deficere, corpus ingrauescere sentiebas, nonne tibi me propinquam esse dicebam? & te admonitum negas? Quare vlterius differendum non est.

Hæc fabula indicat, ita viuendum, quasi mortem semper adesse cernamus.

De Viro auaro sacculum numorum alloquente. 100

VIr quidam auarus, qui ingentem aureorum aceruum male partum relicturus moriebatur, interrogabat sacculum nummorum, quem morienti sibi iusserat afferri, quibus voluptatem esset allaturus. Cui sacculus, hæredibus, inquit, tuis, qui nummos à te tanto sudore quæsitos, in scortis & conuiuiis profundent, & dæmonibus, qui animam tuam æternis suppliciis mancipabunt.

Hæc

Hæc indicat fabula, stultissimum esse in his laborare, quæ aliis gaudium, nobis autem sint allatura tormentum.

De Diuite petente à fortuna, ne plures sibi daret diuitias. 101

VIr quidam admodum diuitiarum & opum suarum pertæsus, mēdico homini centum aureos obtulerat, si ad fortunam suam accedens, quæ in remotis orbis partibus morabatur, eam nomine suo rogaret, ne plures diuitias sibi concederet. Pauper longo itineris labore deterritus, primò abnuit. Sed quum deinde cōsilii pœnitens se iturum polliceretur, diues non plus quàm nonaginta dare velle se dixit. Pauper hanc paruam tanti laboris mercedem ratus, renuit primò, sed quum paulo post nonaginta peteret, diues vix vt octoginta daret, poterat adduci. Sed quum mendicus hunc quoque numerum recusaret, postea vellet, semper diues ex numero oblato decem detrahebat, donec ad denarium numerum peruenisset. Mendicus tandem qui centum recusarat aureos, inopia vrgente, aureis decem acceptis, ad fortunam se contulit, multis eam rogans precibus, ne in diuitem plures vellet conferre diuitias, quæ illi molestæ & graues admodum erant. Sed in se potius vellet esse benigna, qui à teneris annis in perpetua vixerat inopia. Tunc fortuna, constitui, inquit, diuiti illi, qui te misit, etiam nolenti duplicare, imo triplicare diuitias. Te autem in summa mendicitate perpetuò viuere faciam. Decem autem, quos accepisti aureos, nunquam habuisses, nisi tunc arctissimus me oppressisset somnus.

Fabula indicat, fortunam infelici homini semper aduersam, fortunato autem etiam nolenti semper esse propitiam.

De Vidua, quæ operarium suum sibi coniugio copulauit. 102

VIdua quædam conquerebatur cum operario, quẽ ad fodiendum agrum conduxerat, quod omni auxilio destituta, non posset & viri & mulieris pariter officium sustinere. Tunc operarius eam exhortari cœpit, vt virum acciperet, qui bonam magnamq; partem oneris ei demeret, pollicitusq; est, se eã sibi matrimonio copulaturum, si eum tali officio idoneum iudicaret. Tum mulier non vlterius cunctandum rata, cum hunc ad opus maritale admodum aptum arbitraretur, fac, inquit, quicquid vis, deinde (erat enim hora prandii) comedemus. Operarius & huiusmodi confabulatione, & viduæ forma ad venerem incitatus, Syluano auspice matrimonium consummauit, proque agro viduam fodere cœpit.

Fabula indicat, quàm facilè humanæ mentes venerea voluptate capiantur.

De Viro deflente vxorem mortuam. 103

VIr quidam pauper defunctæ vxoris mortem multis lachrymis & querelis prosequebatur, se miserum & infelicem vocitans, qui tam probæ mulieris esset consortio destitutus, vtq; suum in vxorem testaretur amorem, dicebat in morem turturis compare priuati, in perpetuo cœlibatu velle permanere. Inter lamentandum autem cernens, quod mulieres, quæ ad curandum funus conuenerant, veste nimium sumptuosa defunctam induere volebant. Quid facitis, inquit, stultæ? Cur tam preciosam vestem perdere vultis? quid alia vxor, quam ducturus sum, feret? Tunc omnes, qui aderant, inter luctus & lachrymas vix risum poterant continere. Qui enim paulò antè cœlibem vitam agere velle se dixerat, nunc de alia vxore cœperat cogitare.

Fabula hæc indicat, difficile esse animi ægritudinem verborum simulatione celare.

De Sa-

De Sacerdote, qui quinque Veſtales prægnantes fecerat. 104

SAcerdos quidam ſpectatæ admodum vitæ, ab epiſcopo venerabili viro, monaſterium cuſtodiendum curandumque acceperat, in quo quinq; mulieres Deo dicatæ, iuuenes, ſed non multum pudicæ erant incluſæ. Sed quoniam mentes quoque ferreæ libidine ſuperantur: infelix vir non cogitans, cui faceret iniuriam, illarum forma ac illecebris delinitus, intra anni circuitum quinque ex illis filios procreauit. Quod cum antiſtes audiſſet, iratus & furore ſuccenſus, accerſitum ad ſe ſacerdotem vehementer increpuit, perfidum & ſacrilegum hominem nuncupās, qui templum ſpiritus ſancti eſſet auſus violare. At ille rubore ſuffuſus, quum ſe aliter defendere neſciret: Domine, inquit, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia quinque ſuperlucratus ſum. Quo dicto tam faceto permotus epiſcopus, homini veniam dedit.

Fabula indicat, peccata quum ratione nequeant, vrbanitate diluenda.

De Epiſcopo, qui Sacerdoti ignouerat, nummos armatos afferenti. 105

EPiſcopus quidā pecuniæ, quàm ſalutis animæ cupidior, ſacerdotem quendam, qui grauiſſimum quoddam ſcelus perpetrarat, condemnare decreuerat. At ille, cui præſulis ſui erat auaritia nota, lancem aureis plenam, quibus imago regis armati erat impreſſa, epiſcopo dono dedit. Tunc antiſtes, conſtitueram, inquit, te omnino perdere. Sed quis poſſet tot armis obſiſtere? Inuitus te cogor abſoluere.

Fabula indicat, nullum ſcelus eſſe tam deforme, quod vir auarus pecuniæ magnitudine non condonet.

De Psittaco admirante, cur maior honor alibi, quàm in patria sibi exhiberetur. 106

PSittacus ex oriente in occidentem delatus, vbi huiusmodi aues nasci non consueuerunt, admirabatur sese in maiori precio & honore haberi, quàm in natali consueuisset solo. Nam caueam eburneam, argenteis contextam virgis incolebat, suauissimisque alebatur cibis, quod cæteris auibus occidentalibus, quæ neque in forma, neque exprimendis humanis vocibus erant inferiores, non contingebat. Tunc turtur in eadem cauea conclusus, hoc, inquit, nulla est admiratione dignum. Nulli enim in patria meritus honor exhiberi solet.

De Aquila in pulchritudine se cæteris auibus præferente. 107

AQuila se in pulchritudine cæteris auibus præferebat, cunctis hoc verum esse affirmantibus. Pauo autem secum dicebat: Non pennæ te formosam, sed rostrum & vngues efficiunt, quorum timore nulla ex nobis audet tecum de formositate certare.

Fabula indicat, à multis res potentiorum non tam veritate quàm timore laudari,

De Testudine ab Aquila in altum sublata. 108

TEstudo ægre ferens se in locis humidis, & conuallibus assiduè commorari, Aquilam rogauit, quam audiuerat ita alte volare, vt maximos terrarum tractus posset longe & late despicere, vt se in altum tolleret, vnde ipsa quoque montes & valles, campos & æquora eodem temporis momento, posset intueri.

Quod



Quod quum aquila prompté fecisset, eam ex alto demisit, vnde cadens humi illisa & confracta est.

Fabula monet, ne quis se altius extollere velit, quàm eius conditio aut natura patiatur.

De Cane aduersus lupum asino non opitulante, quia sibi panem non dederat. 109

CAnis molossus non modò ad lupos sed etiam ad vrsos expugnandos validus, cum asino, qui saccum panibus plenum ferebat, longum iter fuerat ingressus. Inter eundum autem oborta fame, asinus pratum offendens, large ventrem virentibus herbis impleuit. Canis autem asinum rogabat, vt aliquantulum panis sibi daret, ne periret inedia. At ille non solum panem non dabat, sed canem irridens, illi vt secum herbas pasceret, consulebat. Interim lupum aduenientem asinus conspicatus, canem rogabat, vt sibi esset auxilio. Cui canis: Tu mihi, inquit, consuluisti, vt aduersus famem herbas pascerem, ego quoque tibi consulo, vt te aduersus lupum ferratis calcibus tuearis.

Hæc quum dixisset, abiens ingratum comitem, & raptoris sui mox cibum futurum in pugna deseruit.

Fabula indicat, qui indigentibus expetita non præstat auxilia, ab aliis quoque necessitatis tempore solere destitui.

De Paupere flente ruinam domus, vbi thesaurum inuenit. 110

VIr quidam pauper nihil habebat, præter domum ruinam minantem, tibicinibusq; suffultam, quam ab agro rediens quum ruentem offendisset, nec haberet vnde eam reficeret, vehementer angebatur, magnoq; eiulatu & clamore cuncta complebat. Inter lamentandum autem cernit vrnulam æneam, quæ multos iam annos in pariete obstrusa latuerat, inter rudera & saxa iacentem, quam cum sustulisset, apertamque aureis plenam inuenisset, eiulatu & clamore compressis vehementi gaudio affectus est.

Fabula indicat, sæpenumero id nobis vtile esse, quod damnosum putabamus.

De Vulpe orante foramen domus, modo dilatari, modo contrahi. 111

VVlpes ingressura domum rustici, vbi gallinas audierat, foramen per quod transeundum erat, dilatari cupiebat: Sed rursus quum raptam gallinam ferens inde fugeret, & latratum canis audiret, deos precabatur, vt cani foramen esset angustum, ne inde posset exire.

Fabula indicat, mortales pro commodis suis vota mutare.

De Olea tardè, & Cucurbita citò crescentibus. 112

OLea admirabatur cucurbitam iuxta se natam breui tantum creuisse, vt se esset longè altior, quę anno

nos quamplurimos in eodem fuerat loco. Sed quum aduentante hyeme cucurbita exaruisset, minimè, inquit olea, cito crescentibus est inuidendum, quibus tam citò est paratus interitus.

Fabula indicat, nimium festinata non esse diuturna.

De pecunia potius ad malos, quam ad bonos accedente. 113

PEcunia interrogata à virtute, cur potius ad malos, quàm ad bonos accederet. Quia boni, inquit, mẽtiri, peierare, vsurã facere, & alios spoliare te magistra non didicerunt. Hæ enim res ad sese me trahere solẽt. Tunc virtus, malo, inquit, discipuli mei in paupertate degant, quàm sese his vitiis contaminent. Vtrisq; enim cito moriendum est: Boni in terrarum orbe gloriam relinquentes sempiternam, ad cœlestia regna subuolabunt: Mali autem merita notati infamia relictis opibus suis, ad tartara ima descendent.

Fabula monet, diuitias turpiter non congregandas, quæ amatoribus suis hic infamiam, post mortem autem sint datura tormentum.

De Bubone dicente aquilæ filios suos cæterarum auium filiis esse formosiores. 114

AQuila in concilio auium dixerat, cæterarum auium filios, qui magis formosi essent, in aulicos eligere. Et quum certatim quæq; suos efferret. Bubo, Regina, inquit, nostra, meos accipe, qui cæteros pulchritudine superant. Qua forma, inquit, aquila, sunt filii tui? Qua ego sum, bubo respondit. Tunc cunctæ aues sunt vehementi cachinno commotæ.

Fabula indicat, neminem natum adeò deformem, qui parentibus suis non videatur esse formosus.

De Vulpe in puteum delapsa, quæ lupum rogabat, vt inde eam subduceret. 115

VVlpes in puteum delapsa, & iamiam submergenda, rogabat lupum in putei margine existentem, vt demisso fune illinc eam educeret. Cui lupus, quomodo, inquit, istuc decidisti? non est nunc, ait vulpes, istuc narrandi tempus: Quum me hinc subduxeris, tibi ordine cuncta narrabo.

Fabula indicat, quando periclitantibus celeri auxilio opus est, superuacuis verbis tempus non esse terendum.

De Fele quæ Murem & Caseum comedit. 116

VIr quidam magnum ac pulcherrimum in capsa caseum habebat, quem musculus edebat. Ex consilio ergo amici felem illuc clausit, quæ occiso mure totum caseum comedit.

Fabula indicat, eos non adhibendos custodes, qui non minus quàm hostes nobis nocere possunt.

De lauto Leonis conuiuio, non omnibus animalibus grato. 117

LEo epulum opiparè apparateque cæteris brutis animalibus exhibebat, in quo gallinæ, turdi & huiusmodi auium carnes, partim assæ, partim elixæ erant. Hoc cani, feli, & cæteris animalibus carniuoris gratum admodum erat. Cætera autem, quæcunque herbis hordeoque vescuntur, huiusmodi conuiuium vt insipidum damnabant.

Fabula indicat, quàm difficile sit variæ vulgi voluntati satisfacere.

De Viro de morte patris pisciculos sciscitante. 118

Vir

VIr quidam doctus ad conuiuium cuiusdam principis accitus, & in vltimo loco discumbere iussus, cum cæteris conuiuis magni pisces, sibi autem minuti apponerentur, nullum edebat: Sed singulos ori prius, deinde auribus admouens, tanquam aliquid ab eis sciscitaturus, in patinis integros & illæsos reponebat: interrogatus à magistro conuiuii, cur hoc faceret: meus, inquit, pater ante hoc biennium his regionibus naufragio periit, nec quid de eius cadauere factum sit, postea scire potui. Sciscitabar ergo ab his pisciculis, an aliquid de eo scirent. Verum hi eo tempore nondum se natos fuisse respondent. Quare maiores intrerogandi essent. Princeps audito tam lepido dicto, ipsi quoque maiores iussit exhiberi, semperque eum postea inter præcipuos conuiuas habuit.

Fabula indicat, apud literarum inopes doctis viris non tam doctrinam, quàm facetias & vrbana dicta prodesse.

De Cane pluuiam timente, quia feruenti aqua fuerat excoctus. 119

CAnis quidam quoties pluebat, domo egredi non audebat. Interrogatus ab alio cane, cur hoc faceret: Qui, inquit, quoniam feruenti aqua excoctus sum.

Fabula indicat, grauia mala expertis, leuissima quaque timori esse.

De Viro, qui vicino conuiciante vesicam concutiebat. 120

VIr quidam prudens mitis ac tranquilli ingenii, habebat vicinum maledictum, iurgiorúm amantem, qui eum quotidie conuiciis & maledictis ad iram prouocabat. Vt igitur illius petulantiam & procacitatem retunderet, quoties eum conuiciantem audiebat,

nil respondebat, sed vesicam vento plenam, in qua fabas concluserat, concutiebat, cuius sonitu illum erubescere, & à conuiciis desistere compellebat.

Fabula indicat, maledicis & stultis viris minime respondendum, ne eis similes iudicemur.

De Asino, qui Porco inuidebat. 121



ASinus porco, qui sub eodem erat domino, plurimum inuidebat, quod omnis laboris expers, variis nutriretur cibis, indiesque pinguior fieret, ipse autem plurimum laboris sustinens, duris paleis aleretur. Vnde macilentus effectus vix ingredi posset. Sed vbi vidit cõtubernalem suum ad lanienam trahi, vt occisus hominum esset cibus, aliquantulum recreatus: At at, inquit, hinc illa in nutriendo porco hominum diligentia? O quàm melius est asinum esse, quàm porcum.

Fabula indicat, iis, quos felices putamus, minimè inuidendum, quum illa adumbrata felicitas sæpe multæ sit causa miseriæ.

De Muliere ob Turdos verberata. 122

Vir

VIr quidam iracundus emens merulas, dederat vxori coquendas, dicens: Coque hos turdos. Cui vxor: Merulæ sunt, non turdi. Quum autem maritus contenderet esse turdos, neque vxorem posset inducere, vt turdos esse assentiretur, plurimis eam verberibus affecit. Exacto autem anno, cum dies certaminis illuxisset, mulier verberum memor, hæc est, inquit, illa dies, qua me superiori anno ob illas maledictas merulas tam malè tractasti. Adhuc, inquit vir, negare audes illos fuisse turdos? & quum rursus mulier viro non cederet, iterum vapulauit, sicque quotannis eadem die redeunte vapulauit.

Fabula indicat, stultum esse aduersus potentiores se, ob minimam rem, velle contendere.

De Viro, qui experiri voluit mentem vxoris. 123

VIr quidam callidus experiri cupiens animũ vxoris, quæ sæpenumero dicere solebat, adeò viri amorem sibi infixum, quod si optio daretur, mariti vitã sua morte redimeret, super nudos vtriusq; pedes stuppam igne succensam decidere permisit. Tunc mulier dolore affecta, amoris oblita mariti, à suis tantum pedibus ardentem stuppam excussit.

Fabula viros admonet, ne mulieribus fidem adhibeant, quum maritos magis, quàm seipsas amare testantur.

De Opilione, qui inter canes lupum aluerat. 124

OPilio reperiens catulum lupi, domum tulit, eumq; inter canes ouiũ custodes aluit, qui vbi adoleuit, oues occidere, canesq; vt vnà secum comederent, edocere: Quod opilio animaduertens, lupum quidem occidit, canes tamen vt ab ouium cęde temperarent, non poterat prohibere. Tunc pastor secũ: Merito plector, vt qui lupum canibus immiscui, qui eos oues occidere docuit. *Fabula*

Fabula indicat, bonorum mores, malorum consuetudine corrumpi.

De Filio Hortulani puncto ab Vrtica. 125

FIlius olitoris punctus ab vrtica, quæ paternis in hortis creuerat, conquestus est patri, quod herba domestica, ne heri quidem sui filio pepercisset. Cui pater, fili, inquit, huic innatum est omnibus eandem esse.

Fabula indicat, virum natura malignum, ne à domesticorum quidem iniuriis abstinere.

De Gallo vulpinam pellem fugiente. 126

GAllus à vulpe captus, magna difficultate illius manus euaserat. Hic paulo post visa vulpis pelle, vehementer territus fugiebat, qui cum à cæteris irrideretur auibus, quòd inani timore concuteretur. Si inter vulpis vngues, vt ego, inquit, fuissetis: pedum vestigia, nedum pellem illius timeretis.

Fabula indicat, è magnis periculis elapsos, quæque minima formidare solere.

De Pastore gregem suum aduersus Lupum hortante. 127

PAstor, qui magnum caprarum ouiumque gregem habebat, videns gregem suum quotidie lupi escam fieri, ac minui. oues & capras congregans, longa eos oratione hortatus est, ne vellent lupum formidare, quum essent numero plures, & cornibus, quibus lupus careret, insuper armatæ. Sed vellent vnanimiter, & auxilio mutuo sese ab illius impetu & furore defendere, promittens se quoque eis non defuturum. Illæ hac oratione animatæ, promittunt, iurantque se nequaquam lupo cessuras. Quum autem paulo post lupus aduen-

aduentare nunciaretur, tanto timore affectæ sunt, vt nullis pastoris verbis possent à fuga cohiberi. Tunc pastor secum, impossibile est, inquit, mutari posse naturam.

Fabula indicat, homines natura ignauos, & meticulosos, non solum conspectu, sed etiam hostium fama terreri, nullaque ducis oratione ad virtutem accendi.

De Apro Asinum ad certamen prouocante. 128



APer Asinum ad certamen prouocans, sperabat se victorem fore, quod longiores acutioresque sibi quàm aduersario dentes essent. Sed quum asino propinquasset, ferratis pedibus percussus, cecidit semimortuus. Paulo post ad se reuersus: Non istinc me lædi, inquit, credebam.

Fabula indicat, virum prudentem omnia explorare debere, unde ab aduersario possit offendi.

De Viro, qui vxori se ouum peperisse dixerat. 129

VIr quidam experiri volens, an vxor commissa te- geret: Vxor, inquit, magnum portentum, & silentio dignum, mihi hac nocte cõtigit, (cum illa enim cubans hoc dicebat) quod enarrarem, si à te non efferri arbitrarer; Verùm non audeo, quia mulieres rimarum plenas, & hac illac perfluentes audio. Cui vxor, nondũ me pernosti mi vir, qui ex aliarum ingeniis me iudicas. Potius mortem mihi paterer inferri, quàm aliquid cõtra tuam voluntatem efferrem, idq; iureiurando cœpit affirmare. Tunc maritus, quasi verbis illius fidem haberet, peperi, inquit, hoc ouum (dormitum enim proficiscens ouum secum attulerat.) Sed caue si me amas, ne cui hoc dicas, Tute enim nosti, quanto dedecori mihi esset, si ex viro gallina factus dicerer. Muliere tardè admodum nox discedere visa est. Vix ergo aurora rutilante, commatrem conueniens, narrat maritum duo oua peperisse. Illa verò alteri mulieri compatrem suum tria oua enixum esse. Quid multis moror? Antequam sol occideret, per totam vrbem vulgatum est, hunc hominem ad quadraginta oua peperisse.

Fabula indicat, quæ taceri volumus, nulli mulieri esse dicenda.

De Sacerdote, qui turdos puero suo assandos dederat. 130

SAcerdos gulæ deditus, decem turdos pingues veru infixos, puero suo assandos dederat, dicens, oportere ab illo omnes ad vnum edi, si in cinerem deiiceret. Quum paulò pòst rediisset (fuerat enim ad quædam negocia expedienda profectus) reperit puerum eiulantem. Qui interrogatus cur fleret, respondit, quia non potuisset nisi nouem comesse, quum in cinerem decidissent, rogareque ne alium tunc esse cogeretur, quoniam satis superque venter sibi turgidus esset. Sacerdos irritatus quum pueri amentia, tum quia se cœna pri-

na priuatum conſpiciebat, educto extra limen domus puero, oſtendit ei tres vias, dicens: elige quam vis, hic pernoctaturus non es.

Fabula indicat, amentes ſeruos domi non habendos.

De Ficedula Turdum in fertiliorem locum ducente. 131

FIcedula per locum quendam deſertum iter faciens, reperit turdum labruſcæ vuis, & ſylueſtrium arborum baccis victitantem apud quem hoſpitata, hortata eſt eum, vt relicto tam ſterili & deſerto loco, ſecum pergeret, ſe enim ducturam eum in regionem, ſuauiſſimis vuis, ficis, & omni pomorum amœnitate refertam. Quum autem turdus illius conſiliis obſecutus, in locum à ficedula prædictum perueniſſet, reperit cibos adhuc ſuauiores, quàm illa promiſerat. Sed quum videret nonnullas aues viſco implicitas, alias laqueis captas, complures retibus irretitas, & mille inſidias ac dolos auibus tenſos, vale ficedulæ dicens, antequàm in patriam rediit, vbi vſque ad decrepitam ætatem, abſque vllo inſidiantium metu, vitam tranquillè protraxit.

Fabula indicat, longè melius eſſe tenui, & agreſti victu quietè viuere, quàm lautis & opiparis epulis, inter vitæ diſcrimina.

De Viro auaro moriente. 132

VIr auarus moriens, cum tunc demum intelligeret nihil ſecum laturum, vertit ſe ad amicos & propinquos, quos præſentes cernebat, dicens: Diſce à me, qui omne vitæ tempus ſtruendis opibus incubui, ne nimium ſtudeatis congregare diuitias. Ex tot enim terræ iugeribus, & tam precioſis veſtibus, quas tanto ſudore paraui, quinque pedum foſſam, & linteamen vnum, quo mortuus tegatur, poſſidebo.

Fabula

Fabula indicat, stultum & miserum esse, tantam coaceruandis opibus operam impendere, quæ velimus nolimus breui sunt relinquenda.

De Grammatico docente asinum. 133

GRammaticus quidam gloriabatur adeò in arte sua se excellentem esse, vt si digna daretur merces, non modò pueros, verumetiam asinum docere profiteretur. Princeps audiens hominis temeritatem, interrogabat eum, an si quinquaginta ei daret aureos, intra decennium docere asinum confideret. Respondit vir impudens, non recusare se ab eo interimi, si hoc spacio temporis asinus ille legere & scribere nesciret. Amici hoc audientes admirabantur, increpabantque hominem, qui non modo rem arduam, atque difficilem, verum etiam impossibilem facere promisisset, timebantque ne exacto hoc tempore à principe occideretur, quibus ille respondebat: Antequam hoc tempus elabatur, aut asinus morietur, aut princeps, aut ego.

Fabula indicat, in periculo constitutis moram sæpe auxilio esse solere.

De Lupo, qui se religioni addixerat. 134

LVpus in senium deductus, cùm non amplius venari posset, sese religioni addixit, sumtoque monachi habitu, cibum ostiatim mendicabat. Reprehensus ab alio lupo. quid vis, inquit, faciam? dentes deciderunt, currere non valeo, quare aliter viuere posse diffido.

Fabula declarat, multos homines religioni sese addicere, quia aliter vitam degere nequeunt.

De Mo-

De Morione crucifixum pro thuribulo afferente. 135

SAcerdotes complures in quoddam templum ad solennia celebranda conuenerant, vbi thuribulum nõ erat. Miserunt ergo Morionẽ quendam ad aliud templum propinquum, vt inde thuribulum afferret, qui profectus, quum quid esset thuribulũ nesciret, crucifixum ligneum, quem ibi fortè offendit, humeris tollẽs attulit sacerdotibus: qui ridentes quum non crucifixum, sed thuribulum velle dicerent. At ego, inquit fatuus, nihil ibi hoc magis tribulatum inueni.

Fabula indicat, res peragendas fatuis non committendas.

De Serpente saxo oppresso. 136

SErpens ingenti oppressus saxo, rogauit virum illac iter habentẽ, vt à se onus amoliretur, pollicitus ingentem se illi thesaurum, si hoc faceret, daturũ. Quod quum vir mitis fecisset, non modò promissa non soluebat, sed hominem morte dignum esse dicebat. Dum ita contenderent, accidit, vt simius illac transiret, qui iudex & arbiter electus, non possum, inquit, inter vos tantas cõponere lites, nisi videro prius quo pacto serpens sub saxo stabat. Quum ergo vir serpenti saxum imposuisset, inquit simius, ingratum animal sub saxo relinquendum censeo.

Fabula indicat, ingratos homines nullo dignos esse beneficio.

De Viro lapidato, qui resurrexit. 137

VIr quidam lapidibus occisus à populo, resurrexit, qui interrogatus à quodam, quid sibi in ea lapidatione molestius fuisset: nihil, inquit, lapide, quem

quidam iecit, quem mihi amicum esse credebam, quãuis non fuerim illo percussus.

Fabula indicat, mala quæ ab amicis inferuntur, grauiora videri, quàm quæ nobis inferunt inimici.

De Vulpe capta, & à Gallo prodita, 138

VVlpes rustici laqueis, cuius plurimas gallinas occiderat, capta, rogauit gallum à quo solo visa fuerat, vt aut cultellum quo laqueum scinderet, sibi afferret, aut hero nihil diceret, quoad dentibus laqueum abrupisset. Gallus vtrunq; pollicitus, dominum properè adiens, narrat vulpem casse detineri: quem claua armatum ad se perdendum venientem vulpes conspicata: Infelix, inquit, & stulta ego, quæ credidi gallum mihi fidum fore, cuius tot vxores occideram.

Fabula indicat, iis, quos insigniter læsimus, nunquàm fidendum.

De Vulpe Gallinas metu canis inuadere non audente. 139

VVlpes cohortem gallinarum nocte inuadere non audebat, metu canis, quem apud eas pernoctare cognouerat. Sed quum eas aliò migrasse, vt cum nonnullis aliis gallinis degerent, intellexisset, vbi canis nõ erat, voti compotem se fore rata, illuc se conferens, ad vnam omnes occidit.

Fabula indicat, melius esse bonum & strenuum viciniũ, quàm ignauos consanguineos habere propinquos.

De Gallinæ pullo matri non obsequente, vnde à miluo raptus est. 140

GAllina pullos complures habens, vehementer extimescebat, ne sibi a miluo surriperentur. Vnde sæpe

ſæpe eos ſub ala viſo miluo congregans, ab inimica alite tutabatur. Sed quadam die miluum ad ſe accedentem conſpicata, filios conuocauit, qui omnes properè ad vocem matris currentes, ſalui facti ſunt, vno duntaxat excepto, qui matris voce contempta, dum granum tritici eſſe cupit, per aera curuis vnguibus à ſæua aue raptus eſt.

Fabula indicat, qui parentum imperio non obſequuntur, in maximas calamitates incidere.

De Lupo in foſſam lapſo, & Vulpe irridente. 141

LVpum in foſſam lupariam delapſum, vulpes conſpicata irridebat, & circum oras & foſſæ marginem lætabunda ſaltitabat, ſtolidum animal illum appellans, qui hominum fraudes non animaduertiſſet. Dum ſic ergo laſciua geſtiret, ſubſidens terra eam traxit in præceps: quam delabentem lupus conſpicatus: maximum, inquit, nunc mortis meæ ſolatium ad manes feram, videns vulpem, quæ me irridebat, mecum pereuntem.

Fabula indicat, aliorum calamitatibus nunquam inſultandum, quum in eaſdem nos quoque incidere poſſimus.

De Lupo oues inuadere volente, ſed impedito. 142

LVpus & leo contracta inter ſe amicitia victum quæritabant, tum lupus audito ouium balatu, confide, inquit, amice, cibus iam aderit. Secutus ergo ouium vocem, cum ad ouile perueniſſet, reperit illud optimè munitum, & canes prope dormientes. Reuerſus igitur ad leonem, non placet, inquit, mihi, quòd in præſentia edamus oues, Macilentæ enim admodum ſunt, ſinamus eas pingueſcere, redituri, cùm fuerint pingues effectæ.

Fabula eos arguit, qui impediti ne quid faciant, se noluisse argumentantur.

De Vulture à canibus capto, ob prædam non dimissam. 143

VVltures duo cadauer depascentes, duo ingentia frusta absciderant; quæ vnguibus per aera ferre decreuerant, quum subitò canibus aduentantibus, alter eorum dimissa sua parte cadaueris, eiulans statim è canum conspectu procul abiit: Alter prædæ intentus, dum partem suam dimittere cunctatur, à canibus captus est: qui dum se iam moriturum videret: heu, inquit, me miserum & infelicem, qui paruæ voluptatis causa tot vitæ voluptates amittam.

Fabula indicat, nimiam acquirendi cupiditatem sæpenumero auaris attulisse perniciem.

De Olitore, qui Talpam occidere volebat. 144

OLitor talpam capiens, eam interimere volebat. Cui illa: Ne occidas, inquit, mi here me famulam tuam, tam pulchra pelle contectam, & hortulos tuos gratis fodientem. Non me, respondit olitor, his blandulis delinies verbis, quum me inuito hortulos meos, vt dicis, fodiens, herbas omnes, vt te ipsam pascas, radicitus eruas, & me ad inopiam redigas.

Fabula indicat, in cunctis rebus voluntatem hominum esse spectandam.

De Viro diuite illiterato, & inope docto. 145

VIr quidam diues, sed illiteratus, virum doctum, sed inopem deridebat, quod ipse sua industria multas diuitias congregasset, quum ille, qui tanta doctrina pollebat, maxima inopia premeretur. Cui ille: nil mirum,

rum, quum tu opibus coaceruandis, ego vero doctrinę comparandæ, quæ longè diuitiis præstat, incubuerim. Hic inter diuitem & literatum orta contentio, vtrum doctrina, an gaza præstantior esset: componi non poterat, quum vterq; multos fautores haberet, sed plures diues. Tandem hoc pacto compertum est doctrinam gaza præstantiorem esse. Discordiis ciuilibus ambo solum mutare compulsi, cum nihil secum è suis fortunæ bonis ferre potuissent in aliam vrbem se contulerunt: vbi vir literatus, magna ad docendum mercede conductus, in magno precio & honore habebatur. Qui vero diues fuerat, panem ostiatim petere coactus inopia, confessus est, se sua opinione deceptum.

Fabula indicat, fortunæ bona, quoniam huc & illuc transeunt, ab animi bonis, quæ propria & perpetua sunt, longè superari.

De Vulpe capta à Cane, dum se mortuam simulat. 146

VVlpes simulans se defunctam, vt aues ad se tanquam ad cadauer accedentes, interciperet, luto oblita in quodā agro resupina iacebat, expectans cornices, coruos & huiusmodi rapaces volucres, quas deuoraret, quum superueniens canis, eam mordicus captam cœpit dentibus lacerare. Quod ille animaduertens: digna, inquit, patior: nam dum fraudibus aues capere studeo, ab alio capta sum.

Fabula indicat, qui aliis insidias moliuntur, moleste ferre non debere, quod ipsi quoque capiuntur.

De Vrso, qui vxori oculum eruit. 147

VRsus dum fortè cum vxore rixaretur, oculum illi eruit. Sed postea pœnitens, tanto dolore affectus est, vt vngues sibi mordicus præcideret. Deinde quum

inter loquendum diceret, præ suo in vrsam amore, se propriis armis exuisse. Quid, inquit vxor, istud mihi luscæ nunc prodest? Antequam oculum mihi erueres, istud faciendum fuit.

Fabula indicat, post illatas iniurias seram esse pœnitentiam, quum facta infecta fieri non possunt.

De Leone irato contra Ceruum lætum morte leænæ. 148

LEo omnes quadrupes ad defunctæ vxoris exequias honestandas inuitarat. Cunctis igitur aliis mortem reginæ ineffabili dolore prosequentibus, solus ceruus, cui illa filios eripuerat, expers doloris, nullas lachrymas emittebat. Quod leo percipiens, accersitum ad se ceruum, vt illum perimeret, interrogat, cur non cum aliis reginæ mortem fleat? Cui ille, fecissem, inquit, nisi me hoc facere prohibuisset. Aduenienti enim mihi, felix eius anima, ad elysias sedes proficiscens apparuit, dicens, eius discessum non lugendum, quum ad amœna vireta fortunatorum nemorum, sedesque beatas proficisceretur. Hæc leo audiens lætatus est, ceruoque veniam dedit.

Fabula indicat, viri prudentis officium esse, interdum fingere, & sese à potentium furore honesta excusatione tutari.

De Patrefamilias succensente cani ob gallinas raptas. 149

PAterfamilias oblitus haram, in qua gallinæ pernoctabant, claudere, quum manè surrexisset, reperit omnes à vulpe occisas, & ablatas esse, indignatus igitur in canem, tanquam malum rerum suarum custodem, multis illum afficiebat plagis. Cui ille: si tu, inquit, cui gallinæ oua & pullos pariebant, in occludendo ostio negli-

negligens fuisti: quid mirum, si ego alto sopore oppressus, vulpem venientem non sensi, qui nulla ex illis emolumenta percipiebam.

Fabula indicat, haud vnquam sperandum diligentem fore familiam, cuius paterfamilias negligens fuerit.

De Delectore militum. 150

DElector quidam missus à duce suo ad milites deligendos, qui rebus bellicis magis idonei viderentur: inter cæteros quendam eligere volebat procera statura & qui aspectu ipso præ se ferebat strenuum bellatorem, Tum ille: falleris, inquit, ô delector: Non sum enim is qui videor.

Fabula indicat, ex ipso corporis habitu homines non esse iudicandos.

De Vulpe gallinam incubantem occidere volente. 151

VVlpes rusticicuiusdam domum ingressa, reperit in nido gallinam ouis incubantem, quæ eam rogabat, dicens: Ne me obsecro in præsentia occidas macilentam. Expecta paululum, dum pulli mihi nascantur, quos vt tenellos absque dentium dolore esse poteris. Tunc Vulpes: Non essem, inquit, inter vulpes numeranda, si nunc esuriens, spe pullorum, qui nondum nati sunt, paratum omitterem cibum. Dentes validos gero, qui quamlibet durissimam carnem molere consueuerunt: Hæc dicens gallinam deuorauit.

Fabula indicat, eum amentem esse, qui incerta spe maiorum rerum, præsentes omittit.

De Cane, qui societatem cum asino aduersus lupum iniuit. 152

CAnis molossus cognoscens se lupo, cum quo magnas exercebat inimicitias, imparem, statuit aliquem sibi socium adsciscere, vt mutuo auxilio lupum superaret. Videns autem asinum lupo vocaliorem, maiorem clitellisq; velut thorace armatum, magnasq; pilas podice tum magno tonitru emittentem, ratus est eum strenuum esse bellatorem. Quare contracta societate, lupum ad pugnam prouocauit. Sed vbi ad primũ lupi conspectum asinum fugientem vidit, nilq; aliud, quàm inconditos clamores & magnos ventris crepitus edentem, ipse quoq; fugiens, socium in ipsa pugna deseruit, pabulum lupo, vulturibusque futurum.

Fabula indicat, stultos esse, qui hominum virtutem ex verborum ampullositate, & corporis proceritate diiudicant.

De Lupo gregem aggresso, quum ibi duo canes essent inter se pugnantes. 153

LVpus ex alta specula contemplatus canes geminos gregis ouium custodes inter se pugnantes, & sese mutuis morsibus dilacerantes, spem concepit posse tuto oues inuadere. Magno igitur impetu in oues delatus, quum vnam oppido pinguem rapuisset, concite fugiebat. Canes id conspicati, omissa domestica pugna lupum fugientem assecuti, tantis illum affecere vulneribus, vt vix posset euadere. Quum autem mox ab alio lupo interrogaretur, cur solus gregem esset adortus, vbi tam validi erant propugnatores: domestica, inquit, pugna deceptus sum.

Fabula indicat, quod inimicitia externorum, discordes propinquorum animos reconciliare solent.

De Asino, qui obiens vinum effudit. 154

VIr quidam pauper, cui præter vini dolium & asinum nihil erat, filiam vnicam cuidam spoponderat adolescenti, paulum nescio quid pollicitus dotis, quam ex vini & asini precio (constituerat enim hæc venundare) contrahere posse arbitrabatur. Sed sequẽti, qua sponsalia facta sunt, nocte asinus obiit, & inter moriendum, fracto calcibus dolio, vinum effudit.

Fabula indicat, nullam in rebus caducis spem habendam.

De Arundine, nidulum ab auicula petente. 155

ARundo ęgrè ferebat, quum cæteræ non solum arbores, verum etiam herbæ interdum nidos auium sustinerent, se eo honore priuari. Rogauit ergo auiculam quandam, vt ipsa nidificaret. Cui illa: facerem, inquit, nisi instabilitati tuæ diffiderem. Nolo enim filiorum meorum domum in fundamento tam instabili collocare.

Fabula indicat, res nostras viris instabilibus minimè committendas.

De Pica cuculum pro accipitre fugiente. 156

PIca inter arborum frondes delitescentẽ cuculum conspicata, accipitrem esse suspicata est: Quare concitata fugiebat. Quod nonnullæ aliæ aues, quæ propè aderant, intuitæ, picam irridebant, quod pro accipitre cuculum fugeret: quibus illa: malo, inquit, à vobis irrideri, quàm ab amicis fleri.

Fabula indicat, melius esse, inimicis ridendi, quàm amicis flendi prębere materiam.

De Seruo, qui asinum heri è rupe deiecit. 157

SEruus cuiusdam agricolæ asinum domini sui ex alta rupe præcipitẽ dedit, ne quotidie huc & illuc illum agere cogeretur, mentitusq; est domino illum sponte sua se deiecisse. Ob hoc dominus seruum compellebat omnia humeris suis ferre, quæ antè asinus portabat. Quod seruus nequã animaduertens: malè, inquit, mihi consului, cùm innocentem conseruũ meum perimi, qui me tanto labore leuabat: iustè nunc plector.

Fabula indicat, insipientes dum mala à se amoliri volunt, sæpe incidere in grauiora.

De Porco post mortem gratiam domino referente. 158

POrcus criminatus ab ouibus, quod domino, à quo tanta pascebatur diligentia, nullam referret gratiam: quum ipsæ lac, lanam, agnosque illi præberent: mortuus, inquit, referam: non ab re me nutrit.

Fabula indicat, quod nemo absque spe præmii laborem subit.

De Merula miluum extimescente. 159

MErula suspiciens miluũ magno ambitu aera circinantem, ingentesq; eiulatus edentẽ, vehementer exterrita est. Cui turdus: ne trepida soror, inquit, tantos pugnæ apparatus, totq; minas in exiguum murem, aut in pullum gallinaceum tandem effundet. Cauendũ nobis est ab accipitre, cuius prius vngues, quam vocem sentire solemus.

Fabula indicat, magis quietos & tacitos homines, quàm minaces & verbosos extimescendos.

De Gallis inter se pugnantibus. 160

Galli

Galli duo, vt eorum mos est, inter se de ducatu gallinarum acerrimè certabant. Qui superior in pugna fuerat, alarum plausu, vocisque cantu se victorem fuisse significans, venere & ocio emarcuit. Victus autem à conspectu gallinarum profugiens, cum cornicibus & pauonibus sese quotidie pugnando exercebat: inferendi, vitandique ictus artem ediscebat: qui vbi se satis instructum vidit, rediens, aduersarium ad pugnã prouocatum nullo negocio superauit.

Fabula indicat, nihil æque milites eneruare, quàm nimium veneris vsum, desuetudinemque pugnandi.

De Viro benefico, qui in latrones inciderat. 161

Vir beneficus, & in cunctos liberalis, peregrè profectus, incidit in latrones: qui circumstantes quum eum interimere vellent, exclamauit vnus ex eis: Ne interficiatis hunc virum bonũ, & de me bene meritum. Quippe qui me non solum olim benigne suscepit hospitio, verum etiam ægrotum fouit, medicoque curandum tradidit. Quibus verbis moti socii, illum illæsum abire permiserunt.

Fabula indicat, quoad possumus, beneficia in cunctos conferenda.

De Cane, qui occidit filium domini. 162

Vir quidam diues venandi studio mirifice deditus, complures canes alebat, quorum vnus filium domini morsu interfecit. Dominus ira percitus, non solùm homicidã, verum etiam omnes alios iussit occidi. Tũc ait vnus ex eis: vnus peccauit, & cuncti plectimur.

Fabula indicat, vnius malignitatem sæpe multis obesse.

De Agricola icto ab ape. 163

Agricola

AGricola ictus ab ape, admirabatur, vt ex eodem ore succus tam suauis, & stimulus tanti doloris exiret. Respondit apes; Quo beneficentior sum, eo maiori odio prosequor mihi inferentes iniuriam.

Fabula indicat, quo magis homines benefici sunt, eò minus iniurias tolerare.

De Capra prohibita à cane hortum intrare. 164

CApra esuriens hortum quendam vbi virentia viderat olera, intrare cupiebat: Sed canis molossus quem olitor custodem apposuerat, non permittebat, minitans ei mortem, si pedem introferre tentaret. Cui capra: Quid, inquit, me esse prohibes, quæ tibi nulli sunt vsui: Nulla, respondit canis, ratione hoc facio, sed quia ita mihi insitum est à natura.

Fabula exprimit naturam auarorum, qui multis rebus abundant, quibus neque ipsi fruuntur, neque alios frui patiuntur.

De Hydro ranam deuorare volente. 165

HYdrus in quadam palude ranam persequebatur, quem quum illa euadere non posset conuersa dicebat: Ne me deuora hydre, quæ nulli vnquam nocui. Cui hydrus: clamor tuus, inquit, minæq; quibus die noctuque obstrepis, te maleficum animal esse testantur. Quod autem non noceas, impotentia causa est, dentes enim non habes.

Fabula indicat, multis non animum nocendi, sed vires deesse.

De Iuuene ducturo vxorem, rogante amicos, vt pro se orarent. 166

Iuuenis

IVuenis quidam desponsurus vxorem, quum interrogaretur, an eam vellet, conuertit se ad amicos & propinquos, qui ibi aderant, dicens: Quid vt muti siletis? Cur non Deum, vt me hodie adiuuet, oratis? Si enim sternutantibus Deum adesse precamur, vbi nullum est periculum, quanto nunc magis pro me orare debetis, cui tantum videtis imminere discrimen.

Fabula indicat, ducentes vxorem maxima adire pericula.

De Viro decrepito arbores inserente. 167

VIr decrepitæ senectutis irridebatur à iuuene quodam, vt delirus, quòd arbores insereret, quarum non esset poma visurus. Cui senex: Nec tu, inquit, ex iis, quas nunc inserere paras, fructus fortasse decerpes. Nec mora: Iuuenis ex arbore, quam surculos decerpturus ascenderat, ruens collum fregit.

Fabula indicat, mortem omni ætati esse communem.

De Claudo primum accubitum occupante. 168

CLaudus quidā ad nuptias inuitatus, in primo discubuit loco. Sed magister conuiuii eum inde detrahens, in vltimo collocauit, dicens: Sedes nulla datur, præter quàm sexta trochæo: alludens ad hunc pedem, cui duæ syllabæ dispares sunt, vt illi pedes erant: & qui in vltima metri heroici locatur sede, vt ille ima conuiuii parte dignus erat.

Fabula indicat, primos accubitus non occupandos, ne irrideamur inde detracti.

De Viro, qui thesaurum compatre conscio abdiderat. 169

VIr quidam admodum diues, thesaurum in sylua infoderat, nemine præter compatrem, cui plurimum fidebat, conscio. Sed quum paucis post diebus ad eum visendum accessisset, reperit effossum, atq; ablatũ. Suspicatus igitur id, quod erat, à compatre sublatum, eum conueniens, volo, inquit, compater mi, mille aureos, vbi thesaurum abdidi, adhuc infodere. Compater cupiens plura lucrari, retulit, reposuitque thesaurum: quem quum verus dominus paulo post accedens reperisset, secum domum tulit, conueniensq; compatrem, inquit: fidefrage, ne sumas inanem laborem, vt ad thesaurum accedas, amplius enim non inuenies.

Fabula indicat, quàm facile sit virum auarum spe pecuniæ decipere.

De Leone a Vulpe edocto, vt possit è vinculis exire. 170

LEo comprehensus laqueo, totis viribus vincula dirumpere conabatur, quò autem maiori conatu laqueum trahebat, eo arctius detinebatur. Vulpes illac iter habens, cum hoc esset intuita: Nõ viribus, inquit, mi rex, istinc euades, sed ingenio: Relaxandus enim laqueus, & dissoluendus, non trahendus est. Quod cum leo fecisset, statim soluto laqueo, quo erat astrictus, liber euasit.

Fabula indicat, ingenium viribus longè esse præstantius.

De Psittaco ob artem experimendi verba humana, honorato. 171

PSittacus in aula regis degens, interrogabatur à cæteris auibus, quid ita in magno haberetur honore? Quibus ille, quia, inquit, exprimendi humanas voces artem edoctus sum.

Fabula nos admonet, vt bonas & liberales ediscamus artes, si volumus vbique clari honorabilesque haberi.

De Philosopho Cynico, qui percussori suo argentum dedit, 172

PHilosophus Cynicæ sectæ in iurgio colapho percussus, non solum commotus non est, verum etiam percussorem argenteo numo donauit. Quod quum omnes, qui aderant, admirarentur, dicerentque eum dignum iterum cædi: nescitis nunc, inquit quid egerim: Scietis autem post ea. Haud longo tempore percussor ille volens quendam alium cædere (sperabat enim aliquid fortasse lucrari) letale vulnus accepit. Mortem igitur sibi imminere sentiens: Quantò melius, inquit, mihi fuisset, colapho à Cynico repercuti, quàm numo etiam aureo donari.

Fabula indicat, delinquentibus impunitatem peccandi potius, quàm pœnam interdum nocuisse.

De Boue cornua à Deo petente. 173

BOs ægrè ferebat vires inermes sibi à natura datas, quoniam armis carebat, quæ viribus potiora putabat. Rogauit ergo Iouem, vt sibi cornua concedere dignaretur. Quod cum impetrasset, statim voti sui eum cœpit pœnitere. Nam quum inermis liber esset, à nemineque capi posset, natis cornibus laqueo comprehensus ad arandum ducebatur, & immensos labores subire cogebatur.

Fabula indicat, nihil à Deo petendum, nisi quod ille nobis profuturum intelligit.

De Sene, qui à filio eiectus domo, duo lintea petiuit. 17

VIr quidam decrepito senectutis domo eiectus à filia, in xenodochio degebat. Conspicatus autem filium illac iter habentem, eum rogauit, vt saltem duo lintea ex rebus suis, quas tanto sudore parauerat, sibi mitteret: qui tandem paternis precibus motus, imperat filio suo puerulo, vt expedita ad auum lintea ferret. Puer sagax, & tali dignus patre vnum tantum tulit. Increpatus autem à parente, quod non duo, vt iussus erat, attulisset: seruo, inquit, alterum tibi, vt cum decrepitus in xenodochio deges, illud tibi mittam.

Fabula innuit, qua mente in parentes sumus, eadem liberos nostros in nos futuros.

De Puero discedere nolente. 175

PVer osor literarum, in ludum literarium à patre deductus, nullis magistri blanditiis induci poterat, vt primam alphabeti proferret literam. Tum præceptor: aperi os, inquit, quod huius literæ exigit enunciatio: ille verò hiabat, sed absq; voce. Præceptor videns laborem suum irritum (neq; enim puerulum ac nouicium verberandum censebat) iubet eum inter condiscipulos sedere, eos monens, vt illi persuadeant hanc vel saltem literam efferre. Tum condiscipuli pro virili quisq; eum hortari, dicentes: Est ne tantus labor a dicere. At puer versutus: non est, inquit, arduum dicere a, sed si a dicerē vellet vt b dicerem, &c. Non erit ea vis præceptori patriq; vt discam.

Fabula indicat, nolentes discere, à nemine posse compelli.

De Oue capta à cane vociferante, quod à lupo capta non faciebat. 176

OVis comprehensa à cane gregis custode, maximos edebat eiulatus, capta autē à lupo nullam emit-

tebat

rebat vocem. Interrogata à pastore, cur ita faceret: molestius, inquit, mihi est à cane, qui mihi custos & amicus esse debet, lædi, quàm à lupo, quem natura perpetuum mihi genuit inimicum.

Fabula indicat, grauiores nobis domesticorum, quàm externorum esse iniurias.

De Pauone à milite pennis spoliato. 177

PAuo apud militem, qui galeam multis strutionis pennis ornauerat, gloriabatur se multo pulchriores pennas habere, vtq; id verum esse approbaret, caudam in gyrum explicuit: Miles illarum pulchritudine illectus, auem capiens, eam tanto priuauit ornatu, conumq; galeæ insigniuit. Tunc secum pauo: me miserum & stultum, inquit, qui tam pretiosas res raptori ostendi, quas occultare debebam.

Fabula indicat, pretiosarum rerum ostentatione multos ad rapinas concitari.

De Turdo per viscum capto. 178

TVrdus visco captus ab aucupe, seipsum afflictabat, dicens: non tantũ mortis dolore excrucior, quãtum quod meæ res me perimunt. Aiunt enim viscum ex turdorum stercore procreari.

Fabula indicat, homines tunc vehementer commoueri, quum rebus suis intereunt.

De Auaro poma marcescentia comedente. 179

VIr auarus plurima pulcherrimaque poma collegerat, qualia in hortis Alcinoi & Hesperidũ fuisse poetæ fabulantur, quæ ita parcè edebat, vt nisi corrumpi inciperet, non esse auderet. Huius filius oppido liberalis, sodales suos ad pomaria sæpe ducebat, dicens:

Accipite ex his quę vultis omnia, præter marcescentia illa enim pater meus in secunda mensa semper sibi iubet adferri. Huic præcepto illi libẽter obtemperabãt.

Fabula indicat, homine auaro nihil esse miserius, qui alius custodit, quæ ei Deus fruenda concessit.

De Auaro nimis agros custodiente. 180

VIr quidam extremæ auaritiæ emit prædia admodum feracia, & omni fructiferarum arborum genere referta, quæ priori domino amplissimos fructus reddebant, quamuis immunita essent, & cunctis viatoribus peruia. Ratus igitur nouus dominus, si melius coleret, & diligentius custodiret, vberiores fructus se inde capturum: optimè colere cœpit, & densis vepribus & parietibus clausit, custodesque diligentes apposuit: verùm post hanc diligentem custodiam agri parum fructus illi reddebant. Consultus autem Deus, vnde hoc accidisset, ita respondit:

Ipse mali tanti causa es, qui sepibus agros,
Parietibusque arctis obstructos vndique seruas,
Multa dedi quondam, quia multi multa petebant,
Vni seruit ager tibi nunc, cur tanta requiris?

Fabula indicat, liberali viro Deum multa largiri, quò multorum indigentiæ valeat subuenire.

De Malo arbore ingentia poma procreante. 181

MAlus arbor oleã irridebat, quod exiguas procreasset baccas, cum ipsa & ingentia & quæ vix sui rami ferrent, mala produxisset. Sed vehementi extorto vento, cum pomorum onere, tum vi turbinis, & poma ferè cuncta eciderũt, & rami confracti sunt: Olea autem illæsa permansit. Tunc secum malus: quanto, inquit, melius mihi fuisset, minores fœtus edidisse.

Fabula indicat, nos debere modicis rebus esse contentos,

quum

quum ampla opes & nimia diuitia sine ingenti periculo nequeant possideri.

De Muliere à viro verberata, quæ se mortuam simulabat. 182

MVlier quædam à viro multis verberibus affecta, se mortuam simulabat, quò marito timorem incuteret, retento enim anhelitu, immobilis resupina iacebat. Vir sagax & mulieris fraudum non ignarus: bestia, inquit, mortua pelle nudanda est: arreptoq; cultro, à pedibus pellem diripere cœpit: Vxor sentiens quorsum sua tenderet simulatio, pedem retrahens, ilico resurrexit.

Fabula indicat, quod viro prudenti frustra muliebres tenduntur insidia.

De Miluo & Accipitre, apud Aquilam de præstantia contendentibus. 183

MIluus cum accipitre apud Aquilam de præstantia certabat, dicens, ob corporis magnitudinem sese illi præferendum. Contra accipiter, non staturam, sed vires spectari oportere, dicebat. Tunc aquila: ite, ait, venatū, & vter vestrum digniorem mihi attulerit prædam, eum pręstantiorem iudicabo. Cum autem miluus exiguum murem, accipiter verò columbam apportasset, inquit aquila, quanto columba maior est mure, tanto accipitrem miluo præstantiorē esse pronuncio.

Fabula indicat, ex operum, non corporum magnitudine homines metiendos.

De Insano sapientiam vendente. 184

INsanus quidam vrbes peragrās, alta voce clamabat, sapientiam se habere venalem: Cuidā autem oblato

argenteo eam petenti, colaphum incussit, longumque filum dedit, dicens, eris sapiens, si quousque hoc filum protenditur, ab insanis & furiosis abfueris.

Fabula indicat, nullum cum insanis habendum esse commercium.

De Porcello & testamento patris. 185

POrcellus mortem parentum ingenti clamore deflebat: Sed quum lectis testamenti tabulis, magnum glandis aceruum, multosq; farinæ modios sibi relictos cognouisset, obticuit. Rogatus, cur non amplius fleret: farina, inquit, & glandes os mihi occluserunt.

Fabula indicat, amplas hæreditates hæredum dolori facile finem imponere.

De Ouibus immoderatè segetem depascentibus. 186

AGricola conquerente, quod oues vniuersam segetem depopularentur: Iupiter eis præcepit, vt modeste depascerēt. Quæ quum præceptis non obtemperarent, lupo iniūctum est, vt oues moderatè puniret. Sed pastore conquerente, totum ouium gregem à lupo occisum, Iupiter iratus venatori imperauit, vt lupū perimeret. Quod ille impigre est executus.

Fabula indicat, nullum immoderatum esse diuturnum.

De Leone partem prædæ à Lupo petente. 187

LVpus & vulpes inita inter se societate, venatū profecti sunt, qui quum ceruum, quem ceperant, diuidere vellent, superueniens leo tertiam prædę partē sibi, vt quadrupedum regi deberi dicebat. Lupus vero negabat. Tunc excandescens leo, iniectis in lupum vnguibus, totum eius caput pelle nudatum, rubicundū reddidit, vnde lupus vix viuus euasit. Conuersus hinc in

vulpem

vulpem leo, tu verò quid dicis? Ego, inquit, mi domine rex, non tertiam modò partem, sed totum ceruum tuum esse non inficior. Ecquis, inquit leo, te ita sapienter docuit respondere? Galerus, ait vulpes, ille ruber, quẽ socio meo lupo imposuisti.

Fabula indicat, melius esse partem interdum concedere, quàm totum amittere.

De Viro vxorem non cognoscente, vt felix euaderet. 188

VIr fatuus vxorem ducturus, audiuit à vicino suo, illum futurum in pecoribus fortunatum, qui vxorem post nuptias primis tribus diebus non tangeret. Vt igitur hanc felicitatem consequeretur (erat enim pastor ouium) nocte prima vxorem non attigit, nihiloq; magis, quæ eam consecuta est. Virgo libidine incẽsa, quum se huc & illuc in lecto volutaret, neque vllis blãditiis virum ad opus maritale posset impellere, tertia nocte maritum nil tale suspicantem, & propterea alto oppressum somno, securi aggressa, duobus ictibus percussit. Quum autem interrogaretur, quid eam ad tantum facinus impulisset, infelicitas mea, inquit: existimans magnam mulierum infelicitatem viros stertere, quum fodere debeant.

Fabula indicat, vxores non sinendas virgines permanere.

De Viro sepem destruente, vt inutilem. 189

VIr quidam sepi, qua vinea eius conclusa erat, vt sterili conuitiabatur, eamq; vt nullius emolumenti excisam exusserat. Tunc vinea aperta, & pecoribus & hominibus facta peruia, à cunctis depopulatá est. Dominus vineæ hoc conspicatus, seipsum stultitiæ accusabat, quod sepem vuæ suæ custodem tam imprudenter amouisset.

Fabula indicat, qui res seruant, non minus facere, quamuis ociosi videantur, quàm qui eas suo labore congregarunt.

De Dæmone morte diuitum lætante, pauperum verò mœsto. 190

DÆmon terrarũ orbem peragrans (vt eius est mos) animaduertit iuuenem quendam parentum morte lætantem: vnde totus exhilaratus est. Sed vlterius progressus fleuit, quum alium filium in funere patris mœstum intueretur. Interrogatus tam diuersorum affectuum causas: Risus, inquit, filii ex obitu parentum, significat illos diuites esse defunctos, quorum admodũ rari nostras effugiunt manus. Fletus verò, paternæ est signum inopiæ Pauperum autem regnum cœlorum vt plurimum esse consueuit.

Fabula indicat, nimias diuitias homines ad inferna deducere.

De Lupo esuriente, qui in cadauer bouis inciderat. 191

LVpus senio confectus, quum amplius, venari non posset, magna cruciabatur fame, nec aliquem cognatum aut amicum, qui eum cibo iuuaret, poterat inuenire Dum ergo mœstus ingentẽ peragraret syluam, in bouis cadauer incidit, quod vix cœperat laniare, quum non solum cæteri lupi, verum etiam vultures, corui & cornices illuc se contulerant, lupum orantes, vt se in amicitiam, & in partem prædæ admitteret. Tũc secum lupus: Quem paulò antè fratres & filii negligebant, ecce alienigenæ animantes nunc honore prosequuntur, & amicum expetunt. Non mihi, sed boui hũc exhibent honorem.

Fabula indicat, pauperem cunctis odiosum esse, diuitibus vero ab omnibus honorem exhiberi.

De Vul-

De Vulpe capta, & rusticum vt se dimitteret, orante. 192

VVlpes capta à rustico, cuius quàm plurimas gallinas occiderat, blandis eum verbis orabat, vt se dimitteret, persanctè iurans, nullum vlterius damnum se illi illaturam. Cui rusticus: ignoscerem, inquit, tibi perlibenter, & te incolumem dimitterem, nisi te subdolum & fidefragum animal cognoscerem. A mortua nullum mihi detrimentum inferri posse, certò scio, à viua verò subdubito.

Fabula indicat, perfidis & fallacibus viris nullam adhibendam fidem.

De Porco læto morte inimici. 193

POrci duo erant cuidam subulco, tam immortale inter se odium, & perpetuas inimicitias habentes, vt quotidie sese dentibus lacerarent. Quum autem dominus vnum ex eis occideret, alter incredibili afficiebatur lætitia, videns inimico suo iamiam esse moriendum. Paucis autem post diebus, quum ipse quoque ad necem traheretur, sese afflictabat, dicens, heu me infelicem, cur inimici mei cæde lætatus sum, quem tam citò eram eodem exitu secuturus.

Fabula indicat, neminem debere inimici quidem morte lætari, quum exploratum sit cunctis esse moriendum.

De Dæmone vxorem recusante. 194

DÆmon defuncta vxore, quemadmodũ morosam & difficilem habuerat, in perpetuo cœlibatu permanere decreuerat. Ingressus autem quendam hominem, vt inde exiret, nullis adiurationibus ac minis poterat adduci. Tandem exorcista, cum omnia prius fru-

ſtra tentaſſet, ſciens nullum vxore maius eſſe tormentum, minatus eſt, niſi egrederetur ſe vxorem illi daturum. Tũ dæmon alta voce clamauit, egredior, egredior, noli me iugalibus vinculis irretire, ſtatimq; exiuit.

Fabula indicat, difficili & moroſa vxore nihil eſſe miſerius.

De Muribus tintinnabulum feli appendere volentibus. 195

MVres in vnum conuenientes, conſultabant, quo ingenio, quaue arte felis inſidias poſſent euitare. Tunc qui cæteros & ætate, & rerum vſu anteibat, reperi, inquit, viam, quæ nos à tantis periculis incolumes conſeruabit, ſi mihi parere volueritis. Suſpendamus collo eius tintinnabulũ, cuius ſonitu veniẽtẽ aduerſus nos felem ſentire poſſimus. Tunc omnes voce conſona ſententiam illius vt ſaluberrimam laudauerunt, itaq; faciendum eſſe dixerunt. Surgens autem quidam ſenior, imperato ſilentio: Ego quoq;, inquit, iſtam ſententiã approbo. Sed quis erit, qui collo eius tintinnabulum ſuſpendere audeat? Quum autem omnes hanc prouinciam ſubterfugerent, irrita ſententia fuit.

Fabula indicat, multos quæ facienda ſunt laudare, ſed qui ea facere velint, paucos reperiri.

De Milite timente includi in oppido obſidendo, ob auxilia à longè ventura. 196

MIles quidam prudens inuitatus à cõmilitonibus ſuis, vt cuidam Italiæ oppido, quod ad regẽ Gallorum defecerat, vnà cum eis vellet eſſe præſidio: ſi propius, inquit, loci dominus oppidum obſidebit, quis nobis ſuppeditabit auxilium? Tunc illi: rex, inquiunt, Gallorum. Miles tumulum quendam conſcendens, ô rex Gallorũ, ter alta voce clamauit. Quum autem nullum ſibi redderetur reſponſum, conuerſus ad inuitantes, nolo, inquit, illuc accedere, vbi qui mihi ſuppetias

daturus est, auxilium implorantem non audiat. Cæteri, qui illuc accesserunt, à proprio oppidi domino obsessi, expugnato oppido, capti & iugulati sunt.

Fabula indicat, stultos & amentes esse, qui sese periculis imprudenter obiiciunt.

De Bobus sperantibus pascere, qui ad arandum ducti sunt. 197

BVbulcus stabulum ingressus, boues lętitia exultantes aspexit: interrogauit igitur eos, quænam esset causa lætitiæ? Cui illi, speramus, inquiunt, hunc diem absque labore in lætissimis pascuis nos esse ducturos. Quid vos, inquit bubulcus, vt ita credatis induxit? Illa, inquiunt, fore somniauimus. Nolite, ait bubulcus, huiusmodi somnio fidem adhibere, quod falsum esse deprehendetis: Ego enim somniaui, vos hodie araturos: hominum enim somnia, quàm brutorum veriora esse consueuerunt.

Fabula indicat, nihil mortalium spe esse fallacius.

De Viro, qui se felicitatis suæ causam, infelicitatis verò fortunam esse dicebat. 198

VIr quidam auaritiæ deditus, cum audiret, nihil mercatura esse lucrosius, diuenditis paternis bonis, nauigare cœpit, prosperaq; vsus fortuna, breui maximas diuitias congregauit: interrogatus autem ab amico, quomodo tam paruo temporis curriculo tot opes coaceruasset, mea, inquit, industria. Sed quum non contentus tot ac tantis, quas parauerat diuitiis, ditior nauigatione fieri vellet, bis, terque naufragio facto amissis opibus, ad summam inopiam redactus est. Qui deinde interrogatus quid eum paulò antè tantis rerũ omniũ copiis affluentem ad tantam paupertatẽ redegisset? fortuna, respondit. Quod fortuna audiens, vehementer indoluit, ingratũ eum appellãs, qui bonorũ se causam, malorum verò volebat esse fortunam.

Fabula indicat, improbè eos facere, qui felicitatis causam suæ industriæ, aduersitatis autem fortunæ adscribunt.

De Fœmina maritum, ob pullos male seruatos, verberante. 199

FOemina quædam virilis animi, maritum meticulosum & insulsum multis affecerat plagis, quia vnũ ex pullis gallinaceis, quos abiens ei seruandos reliquerat, miluus abstulerat. Quare vxore iterum absente, ne quem pullorum, quibus datus hærebat custos, auis inimica posset eripere, vniuersos eodem filo ligatos diligentius custodiebat. Sed quum ex improuiso miluus aduenien s, vnum vnguibus rapiens vellet auferre, omnes pariter per inane portauit. Infelix maritus memor ob vnum pullum amissum se ab vxore malè mulctatum, multò grauiora cœpit formidare. Satius ergo mori esse duxit, quàm iterum vxoris iram experiri. Ficus quosdam melle & aromatibus optimè conditas vasculo fictili mulier prudens condiderat, marito insulso, cuius gulam timebat, monito, ne quid inde esset, quũ præsentaneũ venenum lateret in vasculo. Maritus mori cupiens, ficus comedit vniuersas, ratus eam optimã moriendi viam esse. Rediens mulier, cum pullos omnes à miluo ereptos esse cognosceret, sumpto ingenti baculo maritum malum pullorum custodem verberare decreuerat. Cui insipiens maritus, noli, inquit, me iamiam moriturum verberare: Omne enim vasculi venenum comedi, & errati pœnas luam. Tunc mulier, ira in risum versa, marito ignouit, qui pro pullis malè seruatis, alio pacto ei satisfecit.

Fabula indicat, aduersus insipientes nullum idoneum esse remedium.

FINIS.

NOTÆ

NOTÆ ISAACI NICOLAI NEVELETI IN MYTHOLOGIAM ÆSOPICAM.

NOTÆ ISAACI NICOLAI NEVELETI IN FABVLAS ÆSOPI nunquam hactenus Editas.

Fabula 150. ὁ δὲ κατηφὴς] Varietatem lectionis Codicum quibus vsus sum hic exprimere absurdum foret: satis erit nonnulla attulisse quæ plane non videbuntur otiosa. Palatinus quintus locum hunc sic habet. ὁ δὲ ἦν κατηφὴς καὶ οὐδὲν ἤσθιεν ἐκ τῆς λύπης, ὅμοιος δὲ ἦν βασιλεῖ δεσμότῃ.

Ἀνεπτέρωσε] Idem liber τὰ πτερὰ ἀνάπτυξας καὶ μύρα χρίσας.

χρηστὰς ἀμοιβὰς] Erat in M. S. χρειστὰς, cui alludebat Pal. quartus χρήστας. At quintus plane aliter. ὅτι οἱ τῇ φύσει δεινοὶ ἁρπάζειν καὶ πλεονεκτεῖν, μαθόντες τοὺς διδάξαντας πολλάκις ἔβλαψαν.

Fabula 152. Ἀηδόνι συνεβούλευε] Erat in M. S. ἀηδὼν συνεβούλευε χελιδόνι.

καὶ σύνοικον ὡς αὐτὴ] Non vbiuis locorum σύνοικος est hominibus Hirundo. *Thebanorum tecta subire negantur. quoniam Vrbs illa sæpe capta sit. Nec Bizia in Thracia propter scelera Terei.* Sic enim de Hirundinibus Plinius lib. 10. c. 24.

τῶν ἐν τῷ κόσμῳ] Vsitatius esset τοῖς ἐν τῷ κόσμῳ.

καὶ τὸν τόπον] Fabula 18. Phædrus

Nemo libenter recolit, qui læsit locum.

Fabula 153. ὁ δὲ αἰπόλος γελάσας] Vix mihi persuadeam rusticum huncce stoicæ doctrinæ adeo tenacem fuisse, vt ad damnum illum suum rideret. Videtur itaque legendum ὁ δὲ αἰπόλος κλαύσας εἰς τὴν οἴκοι ἦλθε κενός.

γενομένων] Malo γενησομένων.

Fabula 155. ὄρνεις] vocem hanc ad gallinas reſtrinximus, cum generatim etiam ſumi poſſit.

τὰ τῆς ἐπιστήμης προσφορα] Mancus hic locus eſt. videtur vox repetenda hoc modo καὶ τὰ τῆς ἐπιστήμης πρόσφορα προσφέρων. ἐργαλεῖα vel melius τὰ τῆς ἐπιστήμης προσφέρων ἐργαλεῖα.

Fabula 156. Αἰγὸς πνεύμονα] Non translaticiè hæc dicta ſunt. Nam *millia præterea remediorum ex eo animali demonſtrantur*. vt vult Plinius lib. 28. c. 10. à quo remedia illa pete.

Fabula 157. ὅτι εὔκολον εἰς] Bene Phædrus fab. 64.

Quemcunque populum triſtis euentus premit,
Periclitatur magnitudo principum,
Minuta plebes facili præſidio latet.

Non ſatis integra adfabulatio mihi videtur.

Fabula 159. ὅτι τοὺς δι᾽ ἀδυναμίας] In adfabulatione iſta variant libri veteres. Alii enim habent ὅτι τοὺς πονηροὺς καὶ μὴ βουλομένους πείθειν τοῦ λόγου ὁ λόγος ἐλέγχει. Alii verò ad editam adfabulationem propius ὅτι πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀποτυχόντων πραγμάτων σπουδάζουσι διὰ τὸ ψεῦδος συγκαλύψαι τὴν ἧτταν. Neq; minor eſt eorum in ipſis fabulæ verbis diſcrepantia, quã conſulto negligo.

Fabula 160. τὰ κυνῶν σοι προσοίσω] τὰ κυνῶν ſunt dentes, canum arma præcipua. Legendum alicui videretur τάχα νῦν σοι προσοίσω. nihil refigo De ἀμυντηρίοις ferarũ Pheraulas apud Xenophontem lib. 2. Κυροπαιδ. καὶ τἄλλα ζῶα ἐπίσταταί τινα μάχην ἕκαστα. οὐδὲ παρ᾽ ἑνὸς ἄλλου μάθοντα ἢ παρὰ τῆς φύσεως, οἷον ὁ βοῦς κέρατι παίειν. ὁ ἵππος ὁπλῇ ὁ κύων στόματι. omiſſos aculeos ſuggerit Plutarchus περὶ τύχης. τὰ μὲν γὰρ ὦ πλεῖσται κέρασι καὶ ὀδοῦσι καὶ κέντροις.

Fabula 161. ὁ λόγος δηλοῖ] aliæ membranæ ὅτι οὐ δεῖ τινα δολίως ἢ ἀπλήστως πλεονεκτεῖν. ἐν ὑστέρῳ γὰρ κἂν μὴ θέλῃ, πάντα ἀποδώσει.

Fabula 163. Κροκόδειλος] Erat in MSS. κορκόδειλος. Sic in antiquiſſimo Phædri MS. Pithœano legitur continuè *Corcodrillus*.

ὃν ἄγεσι

ἐν ἄγρσι] coniūgendæ hæ duæ voces ſunt quæ in mē-branis ſeparatim leguntur, & legendum ἐνάγρσι.

Fabula 164. Ἀνὴρ προσεδιωθεὶς] Non ſatis placet hæc lectio. legebam Ἀνὴρ πρόσθε τις, vel Ἀνὴρ ποτέ τις.

οὕτω τῶν πονηρῶν] Hinc Martialis iocus in Zoilū lib. 2.

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus
Rem magnam praſtas, Zoile, ſi bonus es.

Fab. 165. Αἰδουμένη νεωτέραν αὐτῆς] Lectionem hanc in verſione ſecutus ſum. Leui tamen mutatione mallem αἰδουμένη νεωτέρῳ αὐτῆς πλησιάζειν. ſic enim poſtea ἡ δὲ νεωτέρα ὑποστελλομένη γέροντα ἐραστὴν ἔχειν.

φαλακρότερον γενέσθαι) Addit Palat. quintus καὶ ὄνειδος ἁπάντων. Sic & Babrias fab. 24.

Ἐξ ὧν ψιλωθεὶς, πᾶσιν ὤφθη γέλως.

οὕτως πανταχοῦ τὸ) Diſſentiūt cæteri Codices ab antiquiore. Alii Διδάσκει ἡμᾶς ὁ μῦθος ὅτι ἀνόητός ἐστιν ἀνὴρ ὁ γυναιξὶν ἑαυτὸν ἐκδοῦναι θέλων. Alii. ὅτι ἐλεεινός ἐστιν ὃς εἰς γυναῖκας ἐμπίπτει. ἡ γὰρ γυνὴ θαλάσσῃ ὁμοιοῦται, ποτὲ μὲν γαληνιῶσα, καὶ προσμειδιῶσα, ποτὲ δὲ ἀποπνίγουσα.

Fab. 168. φασὶ γὰρ ἄρκτον) Diſſentit Ariſt. lib. Hiſt. Animal. 8. c. 6. τὰ δὲ κρέα πάντα κατεσθίει, προσσήπουσα πρῶτον. vide præterea Ælianum de Animal. lib. 5. c. 49.

Fabula 169. Ἀστρολόγος ἐξιὼν) Deriſus à Threiſſa ancilla ſimilem ob lapſum Thales.

Fab. 170. ὁ λόγος δηλοῖ τὸ) Membranæ aliæ legūt ὅτι ἄμεινόν ἐστι τῷ θεῷ πείθεσθαι, καὶ μὴ πονηροὺς ἔχειν ἄρχοντας καὶ ἀτάκτους. Antiquiores ſecuti ſumus membranas.

Fab. 171. σύ τι κραυγάζεις) Legendum ὑμεῖς τι κραυγάζετε, quamuis ne ſic quidem integra ſatis videatur hæc fabula. Legi cōmodius poterit (quod tum mihi nō venerat in mentē cum hæc interpretarer) τοῦ δὲ ἄξονος τρίζοντος ἐπιστραφέντες ἔφησαν πρὸς αὐτὸν ὦ οὗτος, &c.

Fab. 172. ἐρασθεῖσα νεανίσκον) Vſitatius cum genitiuo iunctum hoc verbum. nec ſcio an facilè cum accuſatiuo occurrat.

ἤρξατο εὔξασθαι) Vſitata quoq; Latinis formula. Phædrus fab. 2. lib. 1.

Tum

Tum misit illis hydrum, qui dente aspero
Corripere cœpit singulas.

Idem fabula 3.

Redire mœrens cœpit ad proprium genus.

Et alibi pluries.

τῶν παρόντων] Melius interpretaberis. *Præsentis status oblita feles.*

Οὕτω καὶ τῶν] Membranæ quartæ inuerso ordine legunt, οὕτω καὶ τῶν ἀνθρώπων οἱ φύσει πονηροὶ, κἂν τὴν φύσιν ἀλλάξωσιν, τὸν τρόπον οὐ μεταβάλλουσι.

Fabula 173. οὕτω καὶ κακῶς ποιοῦσι] Versus est Babriæ fabula 42. Ex quo videtur hic legendum κακοὶ.

Fabula 174. Γεωργοῦ παῖδες] Sumpta est hæc fabula ex facto Sciluri. de quo Plutarch. περὶ Ἀδολεσχίας.

ἔδησεν αὐτὰς δεσμὴν] Posset etiam legi ἔδησεν αὐτὰς εἰς δεσμήν.

ἐὰν ὁμοφρονοῦντες μένητε] Bene Diogenes Cynicus apud cognominem Laertium p. 368. ὁμονοούντων ἀδελφῶν συμβίωσιν παντὸς ἔφη τείχους ἰσχυροτέραν.

Fabula 175. Ἀρύειν παγίδας] Redolent hæc vt plurima alia harum fabularum loca versus iambicos: atque vtinam extarent hi versus vnde hæc desumpta sunt, Babriam ipsum, si quid video, haberemus integrum, cuius iam vmbram & Epitomen tantum habemus.

ὁ δὲ χωλεύων] Vix est vt credam ita scripsisse hunc fabulatorem: non vltra tamen inquirere est otium festinantibus.

Εὐσεβέστατον ζῶον] Cuius pietatis præmium Ciconiæ id consequuntur, (si Alexandro Myndio credimus) vt exacta ætate ad Oceanitidas insulas volantes, conuertantur in homines. vide Ælian. lib. 3. c. 22. Aristot. lib. 9. c. 13. Hist. Animal. Plin. lib. 10. c. 22. *Ciconiæ nidos eosdem repetunt, genitricum senectam inuicem educant.*

Fabula 176. καὶ σε τὸν γεωργὸν] Suspecta mihi vox σε: aberit melius.

Fabula 177. Δάμαλις βοῦν ἐπελάνιζεν] Exemplarium

numero

numero volente sic edidi. Non displicebat enim alias quod Palat. quintus suggerebat Δάμαλις ἀγύμναστος βοῦν ἀροτριῶντα ἐταλάνιζεν.

Ἀγύμναστος erit hoc loco iuuenca quæ

Ludit prato libera aperto
Nondum rupta fronte.

Ὦ δάμαλις) Neque illud minus mouebat saliuam quod idem liber habebat εἰς τοῦτο μὴ κάμνων ἐπηρεάσθης, καὶ σοῦ τὸν τράχηλον μάχαιρα καὶ οὐχὶ ζυγὸς τρίψει.

Fabula 180. Καρὸς) Quis sit ille piscis plane ignoro. Repetita littera vocis præcedentis legendum forte erit Σκάρος quomodo inter vertendum legimus.

Fabula 181. Δημάδης ὁ ῥήτωρ) erat in membranis Δημάδης.

Fabula 182. ὅτι δεινότερόν ἐστι) Sic Eumenes à militibus suis captiuus apud Iustinum lib.14. c.5. *Cernitis milites, habitum atque ornamenta ducis vestri, quæ mihi non hostium quisquam imposuit: nam hoc etiam solatio foret. Vos me ex victore victum, vos me ex imperatore captiuum fecistis.* Similis argumenti est fabula 27. Babriæ.

Fabula 183. ἐν οὐδενὶ οὐδὲν χρησιμεύει) Corruptus locus sic emendari poterit ἐν οὐδενὶ οὐδὲν χρησιμεύεις, ὅτε ἐγὼ ἐν στέγεσι πῦρ χρησιμεύω καὶ οἴκοις.

Μετὰ ἀνάγκης καὶ ἐπειρειῶν) Legi interpretatione ἐπηρειῶν.

Fabula 184. κακεῖσε **) Sensus est integer nec video quid abesse possit.

οὕτω πολλάκις ἐν κινδύνοις) Aliter Palat. quintus. ὅτι περὶ πράγματός τινος ἐστὶ διακρίνης, καλὸν εἶναι μὴ ἔχεις βέβαιον περὶ τούτου. πολλάκις γὰρ σφάλλουσιν αἱ ἐλπίδες. vbi legi videtur oportere καλὸν εἶναι μὴ ἔχειν βεβαίως, vel εἰ μὴ ἔχῃς.

Fabula 186. Πρὸς ἄνδρα πονηρὸν) Palatin. tertius alio sensu ὁ μῦθος δηλοῖ ὅτι δικαίως οἱ κακοὶ ἐν κακοῖς ἀπόλλονται, vbi quintus legit σὺν κακοῖς.

Fabula 187. ἐζήτει φαγεῖν) Legimus inter vertendum ἐζήτει φαγεῖν.

Fabula 188. Βάτραχοι διὰ μῖσος τοῦ ὕδρου) Inimicum Ranis hoc animal. Hinc missum Hydrum, cum regem peterent fingit Æsopus Ælianus apertè lib. περὶ ζώων ἰδιοτ. 12. c. 15. Βάτραχος ὕδρον μισεῖ, καὶ δὲ δοικεν ἰσχυρῶς. cuius libri mendā eluam ἐν παρόδῳ ex Palat. membranis. Locus est mendosus c. 21. de Sacchora Babylonio, qui cum ex oraculo nepotem sibi è filia oriundum audiisset, eam includi iussit. verba sic hodie leguntur τοῦτο ἐκεῖνος ἐπέφρικε, καὶ ἵνα εἴπω ἔτι καὶ ὑποπτεύσας, Ἀκρίσιος γίνεται εἰς τὴν παῖδα. Bilius se non expediens Ἀκρίσιος in versione omisit. Gesnerus substituit τῷ Ἀκρίσιος verbum αὐίλεως legendum vero est τοῦτο ἐκεῖνος πέφρικε, καὶ ἵνα εἴπω τι ὑποπαίξας, Ἀκρίσιος γίνεται εἰς τὴν παῖδα. Nota Danaes & Acrisii satis fabula.

Fabula 189. εἰ τὴν ψυχὴν) Legetur meliore sensu εἰ τὴν τύχην μεταλλάξασα.

Fabula 190. ὁ Ζεὺς τοσοῦτον διέβη) Ambiguus hic locus; noua significatione vsurpatum verbum διαβαίνειν explicuimus. Poterat commodius verti, *tantumdem insuper prætergressus est Iupiter iaculando, quantum Apollo iaculatus est.*

Fabula 191 ἐγκαυχώμενοι δοκοῦσιν) Turbant hæ ἰσοδυναμοῦσαι voces ἐγκαυχώμενοι & αὐχεῖν Forte melius legetur ἐν ἀλλοτρίοις χρήμασιν ἐγκαυχώμενοι, δοκοῦσι τι ἔχειν.

Fabula 193. Ζεὺς καὶ προμηθεύς) Vide Lucianum περὶ αἱρέσεων.

ὁ δὲ φθονήσας) Edi in versione debuit *operibus illis inuidens.*

τοῦ ποιοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς) Vide Lucianum lib. 2. Verar. Histor.

φανερὸν δὲ εἶπε) Legebam φανερὸν δὲ εἴη ἕκαστον, οὗ χεῖρον εἶχον. vel sanè φανερὸς δὲ εἴη ἕκαστος, ὅς κακίαν εἶχε. quamuis non adeo eleganter id dicatur : à stylo tamen isto non abhorret hæc locutio, Priorem coniecturam se-

cutus

cutus sum in versione.

Fabula 194. ἔτω πολλοὶ) Alienum hoc plane à fabula ἐπιμύθιον est.

Fabula 195. μόλις ὢ) Lege μόλις ζῶν vel ὤν.

μάτην διεβλήθης) Legi in interpretatione διαβληθῆναι.

Fabula 198. οὐκ τένιζε) Forte erit ἐσίλιζε vt vertimus.

Fabula 199. δύσκολον οὐκ ἔχει) Iracundus minime est elephas quia felle caret. Plinius lib. 11. c. 37. Aristoteles autem non omnino felle carere ait, sed χολώδη φλέβια tantum habere.

χοιρ. διὰ ἡμῖν ἐπιτίθενται) ὀρρωδεῖ quippe ὁ ἐλέφας κεράστην κριὸν καὶ χοίρου βοὴν Ælian. lib. 1. c. 38.

Fabula 200. κάμηλος θεασαμένη) Hinc prouerbium ἡ κάμηλος ἐπιθυμήσασα τὰ κέρατα, ἀπώλεσε καὶ τὰ ὦτα.

περιγεγήμη) Lege περιστένεμη.

Fabula 201. καύθαροι ἐτρέφοντο) Lege καύθαροι ἐτρέφοντο δύο, καὶ δή, &c.

Fabula 202. ὦ ἄθλια ἐγώ) Querela nucis eadem apud Ouidium

Certe ego si nunquam peperissem, tutior essem
Ista Clytemnestra digna querela fuit.

Fabula 203. Εμφιλοχωρεῖσαν) Delectatur myrto Turdus non solum in cibum, sed in fascinationis remediũ, Ælian, περὶ ζώων ἰδιοτ. lib. 1. c. 35.

Fabula 206. οὐδὲ ὑμεῖς) Malo legatur οὐδὲ ὑμᾶς.

Fabula 208. στάζα ᾗ ἐπαινεῖ) Superflua est vox ᾗ.

Fabula 211. διαφεύγῆναι) Videtur deesse πρῶτον.

Fabula 212. εἴγε πάντα περιφερῆ) Manca erit oratio nisi interseras ὦα.

ἑαυτοῖς περιπείροντες) Lege ἑαυτοὺς περιπείροντες ἀτοπίσοις.

Fabula 213. μείζονα κρέας ἔχουσαν) Deesse vi-

detur vox κύνα. qua interserta legendum erit θεασαμένη δὲ τὴν σκιὰν, κύνα ὑπέλαβε μεῖζον κρέας ἔχουσαν.

ὁ λόγος πρὸς ἄνδρα) Palat. quartus πρὸς τοὺς πλεονέκτας, οἵτινες πλειότερον ἐπιθυμοῦσι, καὶ ἃ ἔχουσιν ἀπολύουσι.

Fabula 214. κώδωνα κρεμάσας) Mancus erit hic locus: aut saltem legendum, κώδων' ἐκρέμασ' ὥστε.

Εμφανῆ) Intervertendum legimus ἀφανῆ.

Fabula 216. ἔχωντις κύνα μελιταῖον) Melitenses canes olim in deliciis. Theophrast. charact. περὶ μικροφιλοτιμίας, καὶ κυναρίου δὲ τελευτήσαντος, αὐτοῦ μνῆμα ποιῆσαι, καὶ στηλίδιον ποιήσας, ἐπιγράψαι, κλάδος μελιταῖος.

καὶ τοῦτον δῆσαι) Forte καὶ τοῦ τοῦ δῆσαι.

Fabula 217 ὅτι τοὺς δυσκλεεῖς) Verbotenus interpretati sumus corruptum hoc ἐπιμύθιον.

Fabula 219. ἐπὶ τὸ διὰ παντὸς ἕνα τίκτειν) Rationem reddit Herodotus lib. 3. ἡ μὲν λέαινα, ἐὸν ἰσχυρότατον καὶ θρασύτατον, ἅπαξ ἐν τῷ βίῳ τίκτει ἕν. τίκτουσα γὰρ συνεκβάλλει τῷ τέκνῳ τὰς μήτρας. Contra sentientem Herodoto & vulgatæ opinioni Aristotelem vide lib. de Hist. Animal. 6. c. 31. Vide Plinium vtramque referentem opinionem c 16. lib. 8. vt & Ælian. περὶ ζώων lib. 4. c. 34. quo capite leges ex Palatinis Schedis, vt & voluerat antè Billius, ἡ συχνῇ δὲ ἐπὶ πόδα ἀναχωρεῖ βλέπων αὐτὸς καὶ ὑποβρύχων, non vt vulgò ὑπόβραχυ.

Fabula 220. ἑαυτὸν προσποι**) Lacunam explet legens προσποιητεῖ.

καὶ τι πράττειν) Malo καὶ τι πράττοι μ' οὐκ ἔχω.

λέοντα***) Non video quid deesse possit.

ἐμὴ τύχη) Legi melius poterit ἐμὴ ψυχὴ πρὸς τὰ παρόντα ἑαυτῇ πολεμεῖ. Sic fabula 189. vocem eamdem reposuimus.

ἀγαπᾷ μὲν τὸν χρυσοῦν) Malo τὸν χρυσὸν cæterum tale est illud Antholog lib. 1. furis meticulosi, qui aureum offenderat gladium.

Καὶ χρυσὸν φιλέω, καὶ δήιον Ἄρεα φεύγω.

ποίῳ οὖν τρόπῳ) Legi poterit ποίῳ οὖν τρόπῳ νῦν.

δέδοικα

διδερκομισον) Legendum puto δεδερκομίσων.

Fabula 223. Λέων σὺν ἀνθρώπῳ) Mendosus hic locus; neque adhuc mederi queo.

ὅτι εἰσί τινες) Lego, ὅτι εἰσὶ τινες οἱ ἐν οἷς οὐδύνανται, καυχῶνται omissis cęteris nisi mauis ὅτι εἰσὶ τινες, οἱ ἐν ὅσοις δύνανται, καυχῶνται, μηδ' ἐν δυνάμενοι *Quidam sunt, qui inquacumque repossunt, gloriantur, quamuis nihil plane possint.*

Fabula 225. ὁ λόγος δηλοῖ ὅτι) Vix vox vnica sine mendo est in ἐπιμυθίῳ hocce. Totum ita legi vellem ὁ λόγος δηλοῖ ὅτι οἱ ῥαδίως τοῖς ἐχθροῖς πιστεύοντες, ὅταν τῶν ἰδίων πλεονεκτημάτων παραγυμνῶσι ἑαυτοὺς, αἰχμάλωτοι μᾶλλον καὶ εὐάλωτοι τούτοις γίνονται, οἷς πρότερον φοβεροὶ καθεστήκασιν.

Fabula 226. ὁ μὲν γὰρ τῶν θαλασσίων) In quibus conueniant Leo & Delphinus explicat Ælian. περὶ ζώων lib. 15. c. 17. cuius hæc verba. φυσικὴ δ' ἄρα ἦν κοινωνία καὶ συγγένεια λέοντι καὶ Δελφῖνι ἀπόρρητος. οὐ γὰρ ὅτι βασιλεύουσιν, ὁ μὲν τῶν χερσαίων, ὁ δὲ τῶν ἁλίων, τοῦτο ἀπόχρη. ἀλλὰ γάρ τοι καὶ τήκονται πρoϊόντες εἰς γῆρας, καὶ ἄλλως νοσήσαντες, ὁ μὲν, τὸν χερσαῖον πίθηκον ἔχει φάρμακον. ὁ δὲ ἀναζητεῖ τὸν συμφυῆ.

Fabula 229. διὰ τῆς ποσὶ) Lege διὰ τῆς ἐν ποσὶ παχύτητος.

Fabula 231. πρόβατον τεθνηκέναι) Mallem τεθυκέναι.

Fabula 232. θυσιάζει) Lege θυσιάσει.

Fabula 233. μηδὲ ποτε) Lege μηδὲ τότε.

Fabula 234. Ἀνόητοι τῶν τεχνασμάτων) De veritate huius lectionis dubito. Mallem quoque verteretur si verba ferrent, *machinamentorum suorum compotes non fiunt.*

Fabula 237. ἀνθρώποις ὑποκρύπτοντες) Posset legi ὑποκύπτοντες.

Fabula 239. μέσον ἀγαγεῖν) Melius legetur κυνηγήσει, ἐς μέσον ἀγαγεῖν.

Fabula 241. πέμψας τοὺς πρέσβεις) Lege καὶ πέμψαντας πρέσβεις.

οὕτως τῶν πολλῶν) Totus mendoſus hic locus reſtitui ſic poterit, οὕτως τῶν πόλεων αἱ τοὺς προεστῶτας ῥᾳδίως παραδιδοῦσαι λανθάνουσι καὶ αὐταὶ ταχέως πολεμίοις χειρούμεναι.

Fabula 244. μέλισσαι ἀνθρώποις) Manca videtur hæc fabula, quæ ſuppleri poterit ex Camerario, fabula Apicula & Iupiter.

Βασκαίνους) Sic repoſuimus cum in MSS. eſſet βεκαίνους.

Fabula 247. ὁ λόγος δηλοῖ) Non ſatis integer hic locus.

Fabula 249. ὁ δὲ βάτραχος) Malo ὁ γὰρ βάτραχος.

Βρεκεξκαι) Lege βρεκεκεκεξ κόαξ ἀνακράτων.

ζυγοστατεῖ) Legi inter explicandum καὶ ἴσον ἀποδίδωσι ζυγοστατής.

Fabula 250. Σὺν ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει) Hinc prouerbium *Manum admouentes inuocate numina.* Apud Suidam Αὐτὸς πηλὸν ἐρῶν, εἶπε τοὺς θεοὺς ἐκάλει. ὅμοια τῇ, σὺν Ἀθηνᾷ καὶ χεῖρα κίνει. Qui locus mutilus videtur: forte ſic refarciendus παροιμία ὁμοία τῇ, &c. euanida voce παροιμία ob affinitatem ſequentis.

Fabula 251 Αὐτὴ δὲ ἐνατενίζων) Legendum videtur αὐτήν γε ἐνατενίζων.

ἐγὼ μὲν γὰρ) Apud Plutarchum in Solone

> Ἐξ ἀνέμων δὲ θάλασσα ταράσσεται, ἣν δέ τις αὐτὴν
> Μὴ κινῇ, πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη.

Fabula 252. ἱματίου καὶ) Lege ἱματίου δέ.

καὶ σφόδρα ψυχομένου) Forte σφοδροῦ. vel ψυχροῦ.

νεκρωμένην) Lege νεκρὰν κειμένην.

παντὸς γὰρ καιρὸν) Iſocrates, τὸ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν.

Fabula 254. φασὶ γὰρ νεκροῦ μὴ ἅπτεσθαι) Vide quæ dixi ad fabulam 168.

Fabula 255. πλάτανον) Fabulæ huius exemplum in ſe ſtatuit Themiſtocles apud Ælian. var. Hiſtor. lib. 9. cap. 18.

τοὺς πέλεκας) Forte erit τοὺς πέλας, & mox ἀχαριστοῦνται.

Fabula 256. διαινοίσας) Lege διανύσας.

οἱ οὔπω καταπεσεῖν) Forte εἰς τοῦτο vel ὅσον οὔπω.

Fabula 257. οὗτος *** ὁποῖος) Non video quid deesse possit.

ποιοῦτος ἕκαστος) Euripideum est illud τοιοῦτος ἐστὶν ἕκαστος, οἷοσπερ ἥδεται ξυνών.

Fabula 258. ὅπου καὶ τῶν) Palatin. 4. ὅτι πολλάκις ἐν ᾧ τις ἐυτύχησεν, ἐν τούτῳ καὶ πίπτει.

Fabula 259. τῶν δὲ εἰπόντων δρόσον) Vide Suidam in ἔρσα.

Fabula 260. ὄνος ἀκανθώδεις) Fabula hæc manca est si quid video.

Fabula 263. ὄνος πατήσας) Versus iambicus Scazon, quales Babrias scripsit. nec satis scio num Babriæ ipsius.

Fabula 264. Ἕως τὸ φρονοῦν) Legi potest ἕως τὸ φρονοῦν ἐνίκηθη, vel ἕως τοῦ φρονεῖν ἐνίκηθη.

Σαίνουσα) Edi debuit *Adulans verò caput regauit.*

Fabula 263. ὄφις καὶ Γαλῆ) Mures ἐπειδὰν ἀκούουσι γαλῆς τρυζούσης ἢ συρριττούσης ἔχεως, ἐκ τῆς μυωπίας τῆς μιᾶς τὰ ἑαυτῶν βρέφη ἄλλο ἄλλη μετοικίζουσι.

Fabula 267. καὶ ἀεὶ συνείληφας) Erat in MS. συνείληθας. vnde forte an leget quispiam ἵνα καὶ τὰς σοῦ ἀληθεῖς ἀκρίδας ἀποβαλῇς.

Fabula 268. ὁ μῦθος δηλοῖ) Palatin. 4. ὅτι εἰ μέλλει συμβῆναι τινι τούτοις γενναίως ἐγκαρτερείτω, καὶ μὴ κατασοφιζέτω. οὐ γὰρ ἐκφεύξει.

Fabula 269. ποῖα οὖν ἡμῶν εὔξομαι) Legi potest πῶς ὑμῖν συνεύξομαι, vel simplicius ποῖα ὑμῖν εὔξομαι.

Fabula 270. τὰ πρόβατα νέμων) Absurdè verò adueniens dicitur Lupus. cum id postea dicatur; legendum forte erit, παιδίον τὰ πρόβατα νέμον, ὡς λύκον ἐρχόμενον, &c.

Fabula 271. τοὺς πιθήκους φασὶ) è cæteris Plinius lib. 8. c. 54. *Gestant catulos Simiæ; quos mansuefactæ intrà domos pepererere, omnibus demonstrant, tractarique gaudent, similes gratulationem intelligentis. Itaque magna ex parte complectendo necant.*

ὅτι πάσης πονηρίας) Membranæ aliæ πονηρίας legunt. Palat. quintus amplius ἐπιμύθιον habet. ὅτι τοιοῦτον ἦθος ἔχουσι τινες τῶν ἀνθρώπων, οἷς ἀεὶ ἐχθραίνειν ἐστὶ καλὸν ἢ φιλεῖν, ὅπερ καὶ περὶ γονέων πολλάκις πρὸς οἰκεῖα γίνεται τέκνα, ὡς δῆθεν φιλῶν, (lege ὅσα δῆθεν φιλῶσι) αὐτὰ τῆς σωτηρίας ἐμποδίζουσι. ὅσα δὲ δῆθεν μισῶσι, αὐτὰ δυσκόλως πρὸς σωτηρίαν ἀπέρχεται. καὶ τὸ τῶν μοναχῶν σχῆμα περιβάλλεται.

Fabula 273. πλέσιον βυρσῇ) Legi potest πλέσιος βυρσεῖ παρὰ πλησιάζων τις.

Fabula 277. καὶ ὁμαλίζων αὐτὸν) Mallem καὶ ὁμαλίζοντ' αὐτὴν.

τοιοῦτος πᾶς ἐστιν κληρονόμος) Bene Publius Syrus

Heredis fletus, sub persona risus est.

Fabula 278. συνέβη ἐκ τοὺς) deesse videtur τούτων hoc modo συνέβη τοὺς ἐκ τούτων πλασθέντας.

Fabula 282 ὡς ἐπὶ τὸν τέττιγα) Mancus locus neq; occurrit vnde expleatur.

Ἀφοδεύματι) Vox nihili. Forte erit ἐν φωλεῷ τινι. vt vertimus.

Fabula 283. λεγούσης ὁ λέων) Corruptus locus. Forte sarciendus hoc modo, γελώσης δὲ Ἀλώπηκος. nisi vulnus maius. Vulpes videtur vel aliud quid animal Leonem incitasse in pugnam.

Fab. 285. τράγος ἐν τῇ ἐκβολῇ) Eunus in Antholog. εἰς αὐτοπρόδοτον

Κἤν με φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν ὅμως ἔτι καρποφορήσω
Ὅσσον ἐπισπεῖσαι τράγε θυομένῳ

Vide ibidem Leonidæ epigramma prolixius in eamdem rem.

Fabula 286. τὰς ἵππους φασὶ) Ouidius 15. Metam.

E quæ

——— *Et qua modo fœmina tergo*
Passa marem, nunc esse marem miramur hyænam.

Plinius 8. c. 30. *Hyænis vtramque esse naturam, & alternis annis mares, alternis fœminas* parere sine mare *vulgus credit. Aristoteles negat.* Locus Aristotelis est lib. περὶ ζώων ἱστορίας 6. c. 32. Cui Ælian. contra est lib. 12. c. 25.

Fabula 289. ὁ δὲ χαλκεύων) Nouam constructionem istam mutare nolui, cum ex repetitione eiusdem adpareat ita scripsisse hunc μυθοποιόν.

Fabula 290. ἐναντία τὴν χελιδόνα) Lege τῇ χελιδόνι ἔλεγε.

Fabula 291. τοῖς ἀνθρώποις συνοικοῦσα) Malo συνοικήσουσα,

Fabula 293. πόση γὰρ ὁλκῇ τὸ ἐμόν) Lectio edita est Palatini vnius optima in versione vero secuti sumus lectionem aliorum περιοσρέει. Prioris lectionis sensus hic est *quo pondere & pretio sanguinem meum propones.*

Fabula 294. ἦγεν χοῖρον) Manifestum glossema. Expungendæ hæ voces, quarum alteram in margine repertam textui illeuit exscriptor, vitio hominibus suæ sortis haud insolente.

Εἰ τοκάς ἡ ὗς) Extendenda hæc forsean, & legendum εἰ τοκὰς ἦν ἡ ὗς.

τοῖς μὲν γὰρ μυστηρίοις) Fabula istius sensus à festorum illorum dependet noticia. Cui lucem præferet Theophrastus χαρακτ. περὶ ἀδολεσχίας. καὶ ὡς βοηδρομιῶνος μὲν τὰ μυστήρια, πυανεψιῶνος δὲ κατ' ἀγροὺς Διονύσια. παναθήναια vero non illa μεγάλα quæ διὰ πενταετηρίδος fiebant, intelligi hic oportet; sed illa μικρὰ quæ δι' ἐνιαυτὸν, vt venditori nostro fraus sua constet.

Μυστηρίοις θήλεα ἀποκύειν) Sues Mysteriis mactari solitas docet Ælian. περὶ ζώων ἱστορ. lib. 10. c. 16. Ἀθηναῖοι δὲ ἐν τοῖς μυστηρίοις καταθύουσι τὰς ὗς, καὶ μάλα δικαίως, λυμαίνονται γὰρ τὰ λήια.

ψευδομ ***) Lege ψευδομαρτυρεῖν.

Fabula 297. ψύλλα δέ ποτε) Nobilis viciis hæc fabula

in qua nouo vulneri vix locus. Legi posse videtur hoc modo ψύλλα δή ποτέ τινι πολλὰ ἠνώχλει, καὶ δὴ συλλαβόντος τίς συ, ἀνεβόα, ὅστις εἰκῆ καὶ μάτην ἐμὲ κατανασκύλλεις, ἡ δ' ἐβόα, ὦ οὗτος σῶζέ με μὴ κτείνας μέγα γὰρ κακὸν οὐ δύναμαι ποιεῖν. ὁ δὲ γελάσας πρὸς αὐτὴν οὕτως ἔφη, ἄρτι τε θνήξει χερσὶ μου ταῖς ἰδίαις ἅπαν γὰρ κακὸν οὐδὲ μικρὸν οὐδὲ μέγα οὐδ' ἴσως πρέπει καθόλου που φῦναι ὅτι κακοῦ οὐ πρέπει ἐλεηθῆναι, κἂν μέγας ᾖ κἂν μικρός.

FINIS.

NOTÆ

NOTÆ ISAACI NICOLAI NEVELETI, IN APHTHON. FABVLAS.

APhthonii Rhetoris fabellas ante annos aliquot è manuscripto Palatinæ Bibliothecæ edidit, Latinasque fecit Iacob. Kimedoncius F. iuuenis supra annos græcè latineq; doctus. Easdem cæteris additurus ad αὐτόγραφον *ipsum contuli denuo, & quicquid inter legendum non satis à Kimedoncio versum feliciter visum est mihi, huc congessi, nequid esset quod lectorem non adeo peritum moraretur. non equidem animo labores alienos, quod hodie fit, carpendi; Quid enim absurdius quàm in eo peccare, quod à te deprecaris? sed iuuandi Lectoris caussa.*

Fabula 1. ἐπιγεγονότος) Sic reposui ex MS. cum in editione legeretur γεγονότος.

οὕτως νεότης) Idem Menandri Gnoma

Ἐφόδιον εἰς τὸ γῆρας ἀεὶ κατατίθου.

Fabula 2. τῆς τελευτῆς ἀναβολὴν) Locum hunc Palatinus codex mancum esse indicauit dum τῆς ἀναβολὴν habuit. Kimedoncius id non aduertens τὴν ἀναβολὴν fecerat. Quod deerat suppleui ex vulgatis Æsopi fabulis. inter quas hæc (vt nonnullæ aliæ Aphthonii) extat sub ἐπιγραφῇ. κύκνος. vertique vt vides, cum esset in editione *sic musica periculum auerruncat.*

Fabula 4. Ὠδῆς μὲν πλέον οὐδὲν) Verterat Kimedoncius *Nihil equidem quod sonorum esset reportauit.*

κατηπάτο δὲ τὴν δόξαν) Verterat idem *opinionem refellit.*

οὕτως φαῦλοι) Mallem ἐπιμύθιον hoc sic interpretari *sic homines viles plus videntur quàm reuera sint.*

Fabula

Fabula 6. ποιῆτον εἶναι τὸ χρῶμα) Inter Æſopicas fabulas legitur quoque hæc paucis immutatis ſub titulo Αἰθίοψ.

πᾶσι δὲ λουτροῖς) Liberior in explicatione harum vocum eſt Kimedoncius, quæ ſonant *Lotionibuſq́ omnis generis expurgare conatus eſt.*

Fabula 7. καὶ πεισθεὶς ὁ λέων ὑπ' ἔρωτος) Omiſerat hæc verba in interpretatione ſua Kimedoncius.

Fabula 8. τὰ γὰρ πλεῖστα) Verterat interpres *Nam plurima animalia quæ ad inuiſendum veniebant quum id in promptu haberet, quaſi alimentum deuorauit.*

ἐν προθύροις) Erat in verſione, *ad Veſtibulum Leonis reſtitit.*

Fabula 9. τῷ σωθέντι ποδὶ) Eſt in verſione Kimedoncii, *altero pede qui non affectus erat*; vertere vellem *ſanato pede medentem percuſſit,* vt eodem ipſo pede, è quo euulſa ſpina erat, Lupum percuſſerit Aſinus.

Fabula 13. Επίσχες ἔφη) Mallem vertere *Abſtine à narratione priſtini ſtatus tui.*

παρηνεθλεῦθει) Legendum eſt cum Kimedoncio παρηνεθλεῦθον.

Fabula 16. συνίοντας) Reponi debuit ex MS. συνόντας quomodo mox legitur.

διαστήσας, ἀπέκρινε) Legit Kimedoncius διαστήσαντες. Sublata ὑποδιαστολῇ legi poſſet, ἀλλήλους ἐν μέρει διαστήσας ἀπέκρινε, phraſi græcis vſitatiſſima qualis eſt illa φησὶ λέγων, ᾤχετο ἀπιὼν & ſexcentæ.

Fabula 19. τὸ μεῖζον ἀεὶ) Verteret liberius paullo Kimedoncius *Maiora viribus periculoſum eſt affectare.*

Fabula 22. ὡς αὐτὴ ῥᾴω) Eſt in Palatino ῥᾴων, ſed magis eſt vt retineatur edita lectio.

Fabula 23. τὸ δὲ ὅποι) Emendat Kimedoncius οὐδὲ ὅποι. Sed ſtare poſſe videtur hic locus leuiſſima cum emendatione ſi paullo poſt pro δὲ legeris δή; quam emendationem ſecutus verſionem quoq; emendaui.

Fabula 24. μῦθος ὁ τῶν βατράχων) Placet quod Kimedoncius

medocius τῦ βατράχυ legit, non item quod τὸ ὑπισχνούμενον. Retineri enim potest, vt mihi videtur, edita lectio & interpretari *Fabula Ranæ monens, ante lucrum consyderari eum debere qui promittit.* quod magis fabulæ conueniet. Κέρδυς autem mihi non satis ad gustum est. posset esse. ἔργυ.

Νόσυ δὲ φέρεις) Græcum est Euripidis

Ἰητρὸς ἄλλων αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Fabula 26. μέτρια κτώμενοι) Sic ex Palatino reposuimus.

Fabula 27. καλὰ κέρδη) Nescio cur malit Kimedoncius hic legi κακά.

Fabula 28. Δράκων καὶ ἀετὸς) Prolixe fabulam seu historiam habet Ælianus περὶ ζώων ἰδιότητος lib. 17. c. 37. huic similem. Cuius capitis maculas ἐν παρόδῳ eluam ex Palatinis schedis. Igitur vbi est οἱ δὲ ἄγρω ἐξέπιον, καὶ ἀμυσὶ καὶ πολλὰς, lege πολλὰ non vt Gesnerus πολλὰς κύλικας sub finem itidem capitis vbi est ὁ μὲν ἀετὸς τῷ σώματι ἀμιγῆς. Lege οὕτως ὁ ἀετὸς τῷ σώματι ἀμοιβῇ τῆς ἰσοτίμυ σωτηρίας ἀπέδωκε μισθὸν pro quibus non ἀςόχως supponebat Gesnerus τῷ σωτῆρι εὐχαρις.

Fabula 29 διενήνοχεν) Legit Kimedoncius εἶχε καὶ φέρει. quod mihi nequaquam displicet. Tum enim illa efferet. Vulpes non velut alloquens Coruum sed apud se veluti mirabunda, artificio plane vulpino.

ἡγεμονίᾳ πρέπυσαν] Mallem τῇ τῶν ὀρνίθων ἡγεμονίᾳ προσηκύσαν, vt diceret vulpes, *Colore verò es auium ducatui imperioque conueniente.*

Ἐχθροῖς πειθαρχῶν] Dixit fabula 21. Ἐχθροῖς πειθαρχῶν ὑποςήσῃ τὸν κίνδυνον.

Fabula 31. πλεονεξίαν μισεῖν] Vertit Kimedoncius *fraudem* malo *ambitionem.*

κυρίαν ὁρίζοντος] Verterat idem *Mercurio quidem pronunciante.*

Fabula 37. πλείονι] Legit Kimedoncius πλείονα.

ἱερεῖον τοῖς θύμασιν) Bene interſerit Kimedoncius ἱερεῖον ἔστη.

Fabula ultima οἷς ἀπελόυετο) Kimedoncius itidem mauult τοιούτων cur velit non video. ſine mutatione ſtare poteſt lectio edita.

FINIS.

NOTÆ IN BABRIÆ FABVLAS ISAACI NICOLAI NEVELETI.

Fabula 1. *λέοντι*) Sic bene Palatini duo, & editiones recentiores. Exoletæ enim *καί τις λέοντι*.

ὅτι ἐπ' ἀρετῇ οὐδεὶ) Varietas ſumma eſt in his fabellis Diſcrepant quippe editiones à MSS. duobus Palatin. quibus vſus ſum mirum in modum. & ſæpe melius habent, & elegantius quam vulgati libri. Noluimus tamen libris duobus innixi, tot retro ſæculorum auctoritatem infringere. ſatis eſſe duximus lectionum ipſam varietatem hic indicaſſe. In *ἐπιμυθίῳ* igitur Palat. primus legit *ὅτι ἐν φύσει οὐ δεῖ σεμνύνεσθαι*.

Fabula 2. *οὐ μὴν πτοοῦμαι*) Sic editiones omnes. Palat. vterque *οὐ μὲν πτοοῦμαι*.

ὅτι οὐδεῖ καὶ) Palat. primus ad fabulam propius *Ἀρχῆς ὕβρεων διαστέλλειν*.

Fabula 3. *περὶ ποτὲ*) Mallem quod Palatin. 2. *περὶ ποτὸν* à quo Palatinus alter facit *περὶ ποτῷ*, vt dicant eos ob potum certaſſe. præſertim cum id velit Fabulator græcus *εἰς μικρὰν πηγὴν λέων καὶ κάπρος ἦλθον πεπιεῖν, ἤριζον δὲ τίς πρῶτος αὐτῶν πίῃ.*

Γύπες δ' αὖ ἄνωθεν) Palatin. vno ore *Γύπες δὲ θηρῶν ἐσκόπευον τὴν μάχην.*

Fabula 4. *Εἰ σωφρονῶν γε*) Palat. primus

Εἰ σωφρονῶν γὰρ δυσκάθεκτος ἦν λέων
πῶς οὐ μανεὶς δράσειεν μετ' ἀκρεύων;

Ἐξουσίαν ἔχοντα) Eodem ſenſu ſed diuerſis verbis idem liber. *ὅτι δεῖ τὸν ἐξουσιάζοντα θυμοῦ κρατεῖν.*

Fab. 5. *λέων ὄνος*) Non extat hæc fab. in Pal. ſchedis.

Fabula 6. *ὕπερ συναντῶν*) Palatini libri

Ὥμοις ὄνος παρῆγεν ἀργυροῦν βρέτας
Φοίβου, τὸ περ πᾶς προσκυνῶν πίπτεν κάτω.

ὅτι τοὺς ἐν] Iidem libri τῶν αἰτῶν μὴ ἀναισθητεῖν.

Fabula 7. οἱ μοι κεκληγ' ὡς] Membranæ Palatinæ

> Βοὸς φαγὼν παῖς εἰς ἑορτὴν ἔγκατα
> ἤμει κεκληγὼς σπλάγχνα.

quod vulgato non ineptius. Variant & in adfabulatione. ἀλλότρια μὴ ἀναιδῶς ἐκτείνειν. nisi quod primus ἐκπονεῖν habet.

Fabula 11. πέτραν τ' ἔσχιζε] Sic Pal. mallem ἔχρισε.

Αἱ μεγάλαι ἔχθραι] Palatin. μνῆμαι ἀδικημάτων ἀνθρώποισι.

Fabula 13. Σὺς εἱλκέτης μῦν] Palatinarum lectio est μῦς ἐκφέρειν μῦν. & versu vltimo ὡς οὐδὲ μῦν. Variant & in ἐπιμυθίῳ μὴ γελᾶν πτῶμα τῶν πέλας.

Fabula 14. αἰπόλους βλέπων] Longe melius Palatinus liber, αἰπόλους τρέπων

Fabula 15. ὅτι πολλάκις] Non satis conueniens fabulæ videtur adfabulatio. Palatinus vterque habet. Ἀδικίας μὴ κατάρχεσθαι. quod tolerari potest.

Fabula 17. πηγαῖς ὁρῶσα] Vterque liber

> Ἑαυτῆς προσβλέπων δόρκας θέαν

Et mox itidem variant iidem ab editis

> ὕλαις θέων λέοντα φεύγειν ἐκ μέσης
> θνήσκει πεδηθεὶς οἷς ἔχαιρεν ἐς μάτην.

Variant pariter in adfabulatione τὸ περισσὸν ταῖς ἀνάγκαις ἐπιβλαβές.

Fabula 18. πρὸς τοὺς ποιοῦντας] An melius cum Pall. τὸ ἐκπείρας ἀδύνατον περιφάσεως εὔπορον.

Fabula 19. Εὐθὺς δ' ὁ σῦτον] Palatin. primus ὁ νήπιος δ' ἐκραγῶν. ἡ δ' εἷλε τυρόν. Secundus verò Κόραξ δ' ῥίπτει τυρόν. ἡ δ' εἷλε φάγε. Vterque verò ἐπιμύθιον sic effert Ἐχθρῶν ἐπαίνοις μὴ πιστεύειν.

Fabula 20. τοῦ ἡλίου] Pal. 2. τοῖς ἡλίου. mox alter leget μόνον. vnde forte μόνου.

πρὸς τοὺς] Pall. τοῦ συνήθους τὸ ἰσόμετρον ἀπρόοπτον. nisi quod secundus ἄσμετρον legit.

Fabula 21. λαβεῖν θέλων] Palat. χρυσὸν ὡς λαβεῖν πλέον.

quod

quod malo leui mutatione χειρός. Neque male idem liber μείζων habet, pro vulgato μεῖζον. habet pariter pro adfabulatione τὸ πλεῖον μὴ ἐρᾶν.

Fabula 26. πρῶτον δ᾽ ὄρνεον) Malo cum Palatinis πρῶτα δ᾽ ὄρνεον.

Fabula 27. Βέλη τὸ στῆθος) MS. vterque versum sic effert

βεβλητό τις τὸ στῆθος αἰετὸς βέλει.

Et mox pro ἧσσο habet Palat. secundus ἥττω. adfabulationemque cum altero ἐν ἀγνοίᾳ τῶν ἀδικημάτων τὰ δίκαια εὔπορα. Cæterum bene Syrus

Bis interimitur qui suis armis perit.

Fabula 30. καὶ μάχης) Palatin. λόγοις, vbi vt obiter id moneam, vertendum est, *Cum inimicitiarum odio, & pugna dissociasset,* Malo Palat. illud.

ἕκαστον ἐκ βέβρωκε) palat. primus ἕκαστον οἷον ἐκβέβρωκεν ἀθλίως. secundus ἕκαστον ὅς ἦν, &c. Sed vulgata lectio bona est, neque sollicitanda.

πρὸς τοὺς) illa efferunt Palat. libri φυλάττεσθαι τοὺς ὁμοφρονοῦντας.

Fabula 31. πρός φίλον τινα) Palati. primus κακοῖς μὴ συναγελάζεσθαι. quod prætulerim vulgato. secundus ἀδικίᾳ μὴ συμφέρεσθαι.

Fabula 32. ὅτι ὁ πλεονεκτῶν) τὸ ἐν χερσὶ μικρὸν τοῦ ἐλπιζομένου μείζονος κρεῖττον. Sic Palat.

Fabula 35. θοίνην φυλάττων) Palatinus vterque

Ἐπιλέγει δίκαια πάντα καὶ πέλεις.

In ἐπιμυθίῳ vulgato vox φανερῶς suspecta est Palat. ἀδικία προφάσεως εὔπορος.

Fabula 36. πρὸς ἀνθρώπους) Palat. κατὰ ἀπόντων μὴ θρασύνεσθαι.

Fabula 38. ἔργ᾽ ἀναξίως) Notanda lectio Palatini secundi ἔργων ἀξίας. vt & adfabulatio. ὁ μὴ ἢ σκήπτει τις μὴ μετιέναι.

Fabula 39. μὴ δ᾽ ἄλλο) Vterque Palatini.

Μὴ δεῖ ἄλλο φησὶ πλὴν τοῦτο σκόπει.

 Adfabu-

Adfabulationem nequaquam malam ſuggerit Palat. alter

Μέγα κέρδος, ὑπὸ κακοῦ μὴ βλαβῆναι.

Fabula 41. μύρμηξ δ' ἔφησεν) Palatini ambo.

Μύρμηξ πρὸς αὐτὸν εἶπε, πῶς γὰρ οὐκ ἔχεις;

Et adfabulationem iidem ſic concipiunt. *ὅτι τὸ ἐν καιρῷ ἀργεῖν, καὶ ἐπιζητεῖν ἀκαίρως μάταιον,*

Fabula 42. κἄκτεινε) Palat. alter *καὶ κτείνει.* Cæterũ poſt hunc verſum addit Palat. idem

Στενῶν δ' ὁ πληχθεὶς τόνδε τὸν σίφον ἔφη
Δικαίως πάσχων τὸν πονηρὸν οἰκτείρας
Οὕτως κακοὶ πέλουσι τοῖς εὐεργέταις.

Fabula 43. Ἀγροῦ χελιδὼν) Eſt hæc fabula ſola, quæ Babriam redoleat antiquum. Sed hæc hactenus.

F I N I S.

NOTÆ

NOTÆ IN PHÆDRI FABVLAS ISAACI NICOLAI NEVELETI.

IN LIBRVM I.

Æsopus auctor quam materiam) Phryx fabulator Æsopus cæteris in hoc genere scribendi materiam præbuit, vel quod ex primis studium id tractauit, vel quod creditur ἄρξαι πάντων (vt ait Aphthonius) συγγράψαι τοὺς μύθους Auienus sanè cum Phædro materiæ ducem sibi Æsopum fatetur præposuisse, præfatione ad Theodosium Imperatorem.

Duplex libellis os est) In Codice Petri Pithœi auunculi mei (de quo plura effari me prohibet sanguinis vinculum) erat *duplex libelli mos est*. Lectionem hanc immutauit optimè vir doctissimus Rigaltius, veterem pariter secutus librum.

Fictis iocari) Sic infrà Phædrus, *Et arte fictas animus sentit fabulas.*

Fabula I. *Latro incitatus iurgii*) Leonem qui pueros duos arenam renouantes peremerat, *pradonem* vocat eodem sensu Mart. lib. 2. Epig. 75.

Exclamare libet, crudelis, perfide prædo,
A nostra pueris parcere disce lupa.

Pater hercle tuus) Ita solent peccata parentum, quæ sępius nulla sunt, filiis imputari. *At nihil est iniquius quã aliquem haredem paterni odii fieri*, ait Sen. lib. 2. de Ira.

Qui fictis causis innocentes) Lupini huiusce facinoris sexcenta exempla occurrere olim, occurruntq; etiamnum hodie: adeo vt *Hi regnent qualibet vrbe lupi.* vt bene Fabulator noster Anonymus fab. 2.

Fabula 2. *Arcem tyrannus*) Ακρόπολιν. Notissima est hæc historia ex Iust. Plut. Herod. qui crudelitatis suspicionem à Pisistrato remouent.

Qui dissolutos mores) Pithœa. Codex habuit *vi cõpesceret*

 quod

quod retinendum videtur. Neque auulſum arbitror ſuo loco hunc verſum & viſum eſt viro doctiſſimo. Sic enim Rimicius quidam qui Phædri fabulas ſoluta oratione reddidit, ſeruatis vt plurimum verbis, hac eadem de re loquens ait. *Ranæ vagantes in liberis paludibus & ſtagnis, clamore magno ad Iouem facto petierunt ſibi rectorem, qui errantes corrigeret.* Rimicii huius exemplar mihi è Palatina Bibliotheca ſuppeditauit V. A. IANVS GRVTERVS, Vlmæ olim impreſſum. Fabulas Æſopi Auieni & Anonymi noſtri fabulatoris latina germanicaque oratione expoſuit. Id monendum hoc loco duxi, quod aliquoties huius Rimicii facturus ſum mentionem.

Cunctas euocat] Rimicius legit *aduocat.*

Fabula 3. Ne gloriari libeat alienis bonis] Simile quid monuit Ariſtippus, qui αὐχοῦντός τινος ἐπὶ τῷ κολυμβᾶν, οὐκ αἰσχύνῃ, εἶπεν, ἐπὶ δελφῖνος ἔργοις ἀλαζόμενος.

Ad proprium genus] Ordinem dixit Plaut. ſimili in fictione Act. 5. Sc. 3. Aulul. ibi. *Nunc ſi filiam locaſſim* quem locum prolixum nimis vide.

Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus] Rimicius *ſi has veſtes quas natura dedit amaſſes.* Vnde videri poteſt legendum hic *Contentus noſtris ſi fuiſſes veſtibus.* Nec mihi diſplicet.

Fabula 4. Vidit ſimulachrum] Seneca 1. Nat. quæſt. *Quid ſibi rerum natura voluit, quod cum vera corpora edidiſſet etiam ſimulacra eorum aſpici voluiſſet.* Cæterum illius πλεονεξίας exemplum dabit Demetrius qui *dum aliena affectat vt aſſolet fieri, propria per defectionem Syriæ amiſit* Iuſt. lib. 39. c 1.

Fabula 5. Nunquam eſt fidelis] Euclio prudenter apud Plautum Aulul. Act. 3. Sc. 4.

——— *Dii immortales facinus audax incipit,*
Qui cum opulento pauper homine cœpit habere negotiũ,

Fabula 7. O quanta ſpecies] Rimicius legit, *O quanta ſpecies ait, & cerebrum non habet.*

Senſum

Sensum communem] Bene Syrus

Fortuna nimium quem fouet stultum facit.

Iuuenalis itidem Satyr. 8.

Hæc satis ad iuuenem quem nobis fama superbum
Tradit, & inflatum, plenumq; Nerone propinquo.
Rarus enim ferme sensus communis in illa
Fortuna.

Communem sensum] Præterea dixit Horatius lib. 1. Serm. 3.

Communi sensu planè caret inquimus

Fabula 11. *Hic auriculas*] Placet viri doctissimi Rigaltii coniectura

Hic auritulus, clamorem subito tollit.

Similifuissem in metu] Vetus Danielis charta habuit *simili fugissem metu*, quod vulgato prætulerim.

Fabula 13. *Hac re probatur quantum*] Laborare hunc versum adnotatum quidem est asterisco. Vide núm leui mutatione legendum

Hac re probatur ingenium quantum valet.

Fabula 14. *Bibere iussit*] Legetur melius vt in Pithœna editione *Hoc bibere iussit.*

Fabula 15. *Fraudator homines*] Legitur in V. Danielis charta *nomen cum locat,*

Sed mala videre expetit] Legit clarissimus Gruterus *sed malam dare expetit.*

Vbi vos requiram cum dies] Dissimili in re similiter Dordeilus apud Plautum iu Persa. Act.4. Sc.7.

Argentum accepit, abiit: quid ego nunc scio
An iam asseratur hac manu? quo illum sequar?
In Persas? nugas.

Fabula 17. *Quem commendasse*] Vet. Dan. charta. *quem commodasset*. Sed frustra. Hac voce eodem sensu vsus Iustin. lib. 35. c. 3. *Demetrius duos filios apud Gnidium hospitem suum, cum magno auri pondere commendauerat.* Vbi videsis Amplissimi Bongarsii notas, qui aliquot exemplis id confirmat.

Fabula 18. *Nemo libenter recolit*) Doctè Ouidius Tristium 3. Eleg. 1.

At nunc (tanta meo comes est insania morbo)
Saxa meum refero rursus ad icta pedem.
Scilicet vt victus repetit gladiator arenam
Et redit ad tumidas naufraga puppis aquas.

Sic apud Iust. Dido lib. 18. c. 9. *Fingit se ad eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus, cupidæ obliuionis grauem luctus imaginem renouaret, neue vltrà amaræ admonitio oculis eius occurrat.*

Instante partu) Mallem consulendo versui legere

Instante partu mulier actis mensibus.

Peractis mensibus) Sic *exacti menses* Plaut. Amphitr. Scen. 3. vers. 2. & Cistell. Act. 1. Scen. 3. vers. 15. & Curt. lib. 10. c. 25. *Exactos menses solus expectat, & iam diuinat marem esse conceptum.*

Onus naturæ) *Pondus vteri* dixit Propert. lib. 4. El. 7.

Idem ego cum Cynaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent vteri pondera lenta moram.

Fabula 19. *Preces admouit*) Plaut. in Cist. act. 2. Sc. 2.

Quot illi blanditias? quid illi promisi boni?
Quot admoui illi fabricos? quot fallacias?

Fabula 20. *Cœpere bibere*) Malo quod vetus Dan. charta habuit. *Cœpere ebibere.*

Ibi periere) Aberit itidem melius ex eodem libro vox *ibi.*

Fabula 21. *Infestus Taurus*) Codex Danielis *Infestis Taurus* quod non displicet.

Quod ferre certe cogor) Mallem *Quod ferre cogor, certe bis videor mori.* Alexandri Milites apud Curt. lib. 10. c. 14. idem voluere dum aiunt. *Milites tui, ciues tui incognita caussa captiuis suis ducentibus trahuntur ad pœnam. Si mortem meruisse iudicas, saltem ministros supplicii muta.*

Fabula 24. *Inops potentum*) Id voluit Syrus vers. 746.

Vbi cœpit pauper diuitem imitari, perit.

Inflare

Inflare sese) Elegans Mart. iocus in Otacilium ex hac fabula petitus. lib. 10. Epig. 79.

Fabula 25. Canes currentes) Hinc iocus in Antonium apud Macrob. lib. 2. *Post fugam Mutinensem quærentibus quid ageret Antonius, quidam familiaris eius respondit, Quod canis in Ægypto, bibit & fugit.* Ælian. περὶ ζώων ἰδιοτ. lib. 6. c. 53.

Fabula 26. in patena) Rimicius *in cathino.*

Peregrinam auem) Philostratus epistola quæ incipit εἰ ξένος ὤν. καὶ ὁ ὄρνις ὁ φοῖνιξ τῶν Ἰνδῶν. ἔτος μὲν ὁ ξένος καὶ βραδὺς. τὸν δὲ πελαργὸν οἱ πρῶτοι θεασάμενοι καὶ προσκυνοῦσι.

Fabula 28. Quamuis sublimes) Inde Indorum ad Alexandrum legati apud Curt. lib. 7. c. 47. *Leo quoque aliquando minimarum auium pabulum fit, & ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab inualido.* Hinc Græcus ille versus

Ἔνεστι κἂν μύρμηκι κἂν σέρφῳ χολή.

Fabula 29. Asinus demisso) Sic emendauit ex vetusto codice Rigaltius, cum in Pithœano legeretur *dimissis pedibus.*

Fabula 30. Humiles laborant) Prudenter apud Iustinum Philippus ait lib. 29. c. 3. *Cernere se quam cruenta & sanguinaria inter se bella vtrique populi, & viribus copiarum, & ducum actibus gerant: qua rabies finiri solo partis alterius interitu, sine ruina finitimorum non posse.*

Ratio est separata) Legunt alii *Natio est separata.*

Expulsus regno nemoris) *Regnum gregis* dixit Silius Italicus lib 16. Punicorum eadem in re

Abditus in sylua, stabulis cum cessit ademptis
Amisso taurus regno gregis

Quæ à poetarum principe mutatus est lib. 3. Georg. sub medium

Et stabula aspectans regnis excessit auitis, &c.

Regnatorem itidem *agelli* dixit Martialis libro 10. Epist. 61.

Quisquis eris nostri post me regnator agelli.

Fabula 31. Tunc reliquis] Mallem *Tunc derelictis.*

NOTÆ IN LIB. II.

NEc *aliud quicquam*] Supra dixit Phædrus

Duplex libelli dos est quod risum mouent
Et quod prudentis vitam consilio monent.

Fabula 32. Attende cur negare] Archelai egregium factum. de quo Plutarchus in Apophth. Ἀρχέλαος αἰτηθεὶς παρὰ πότον ποτήριον χρυσοῦν ὑπό τινας τῶν συνήθων, οὐ μὴν ἐπιεικῶν, ἐκέλευσεν Εὐριπίδῃ τὸν παῖδα δοῦναι. θαυμάσαντος δὲ τοῦ ἀνθρώπου, Σὺ μὲν γὰρ, ἔφη, αἰτεῖν, οὗτος δὲ λαμβάνειν ἄξιός ἐστι, καὶ μὴ αἰτῶν.

Fabula 33. A fœminis vtrumque] Videsis Plautum Crucal. Act. 1. Scen. 1. Mart lib 11. Epig. 50. technas & fraudes mulierum detegit quem vide.

Ætatis mediæ cuidam] Sic emendauit hunc locum doctissimus Rigaltius, cum alias legeretur *quadam*, essetque nota Lacunæ grandioris.

Fabula 35. Feles cauernam nancta] Huic feli persimilis Macedo Philippus apud Iust. lib. 8. c. 1. & 4. & lib. 11. *Gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, apud vtrumque gratiam quærere solemnis illi consuetudo.*

Fabula 37. Contra potentes] Publius Syrus

Fulmen est, vbi cum potestate habitat iracundia.

Fabula 39. Spatium diei noctis] Addit Rimicius

Hæc cum dixisset obscuro se condidit loco

adeo vt versus deesse hic Phædro videatur.

Bobus quietis] Rimicius legit *Bobus gaudens agere cœpit gratias.*

Dominum videre plurimum] Plin. lib. 18. c. 6. *Maiores*

nostri fertilissimum in agris oculi dominum esse dexerunt vbi exemplum (Furii Cresini huic loco aptissimum videsis. Plut. περὶ παίδων ἀγωγῆς κἀνταῦθα δὴ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ ἱπποκόμου χάριεν, ὡς οὐδὲν οὕτω πιαίνει τὸν ἵππον ὡς βασιλέως ὀφθαλμός.

Quoniam occuparat alter] Legit clarissimus Rigaltius

Quod iam occuparat alter, ne primus forem
Ne solus esset, studui quod superfuit.

Elogium tale est Ciceronis apud D. Hieronymum. Epist. de vita Clericorum *Demosthenes tibi praeripuit ne esses primus orator, tu illi ne solus.*

Sinistra quos in lucem] Sinistra sic dicitur Curtio lib. 7. c. 22. *Natura inquit, mortalium, hoc quoque nomine praua & sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno.*

NOTÆ IN LIB. III.

V*Aces oportet*] Plinius lib. 9. Epist. 31. *Eam reuerentiam cum litteris ipsis, tum scriptis tuis debeo, vt sumere illa, nisi vacuo animo irreligiosum putem.*

Quamuis in ipsa natus] Sic de Epaminonda Iustin. lib. 6. c. 11. *Iam litterarum studium, iam philosophiae doctrina tanta, vt mirabile videretur, vnde tam insignis militiae scientia homini inter litteras nato*

Sancta Mnemosine] Plutarchus περὶ παίδ. ἀγωγ. rationem reddit cur Mnemosine musarum dicatur parens. ἡ μνήμη ὥσπερ παιδείας ἐστὶ ταμεῖον. καὶ διὰ τοῦτο μητέρα τῶν νυμφῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν Μνημοσύνην, αἰνιττόμενοι καὶ παραδηλοῦντες οὕτως οὐδὲν γεννᾶν καὶ τρέφειν, ὡς ἡ μνήμη πέφυκε. Vide Max. Tyrium serm. κη.

Quodcunque fuerit] Noti sunt Virgilii versus 2. Æneid.

Cuncta equidem tibi Rex fuerint quæcumq; fatebor
Vera inquit, &c.

Seruitus obnoxia) Simile Suidas in Αἴσωπος· οὗ ὁ νόμος οὐ μετεδίδου παῤῥησίας, τούτῳ προσῆκον ἦν ἐσκιαγραφημένας τὰς συμβουλὰς καὶ πεποικιλμένας ἡδονῇ καὶ χάριτι παραφέρειν: vide ibidem plura huc facientia.

Alius Seiano) Sic Horatius *Ne quis sese alius Lysippo duceret ære.*

Suspicione si quis errabit sua) Seuerus Sulpitius in lib. de vita Martini pag. 291. *Nec vero quemquam nominare necesse est, licet nosmetipsos plarique circumlatrent. Sufficit vt si quis ex his hæc legerit & agnouerit, erubescat. nam si irascitur, de seipso dictum fatebitur, cum fortasse nos de alio senserimus.* Idem Hieronymus Epist. ad Rust. de forma videndi. *Scio me offensurum esse quamplurimos, qui generalem de vitiis disputationem, in suam referunt contumeliam & dum mihi irascuntur, suam indicant conscientiam, multoque peius de se, quam de me iudicant.*

Fabula 42. Vsuperitus) Theoc. εἰδυλλ. κβ. οὗτος ἄριστος
Ἔστιν ὀνειροκρίτας, ὁ διδάσκαλός ἐστι παρ' ᾧ νοῦς.

Procurare ostentum) Solemnis hæc formula de qua Brissonius lib. Formularum 1.

Fabula 43. Et turpi facie) Bene Seneca. *Potest ingenium fœlicissimum sub qualibet cute latere. potest è casa vir magnus prodire: prodest è deformi humilique corpusculo formosus animus ac ingenuus.*

Fabula 45. Nam vbi tricandum) Legit clarissimus Gruterus strigandum.

Fabula 47. Tu formam ne corrumpas) Vsus est in iuuenibus speculi iste. In senibus vero quis esse possit, docet Plautus Epid. act. 3. Sc 3. Cæterum idem quod pater hic filiis suadet, suadebat iuuenibus Socrates. συνεχῶς nempe κατοπτρίζεσθαι. ἵν' εἰ μὲν καλοὶ εἶεν, ἄξιοι γίγνοντο. εἰ δ' αἰσχροί, παιδείᾳ τὴν δυσείδειαν ἐπικαλύπτοιεν.

Fabula 48. Cuius non fugio mortem) Aristippus vosi

idem

idem habuit. ἐρωτώμενος γὰρ πῶς ἀπέθανε Σωκράτης, ἔφη, ὡς αὖ ἐγὼ εὐξαίμην.

Vtinam inquit veris) Ne dum domum impleriт Socrates, cum ne nauim Theognis impleri posse dicat vndequaque collectis amicis veris vers. 83.

> Τοὺς δ' οὐκ εὑρήσεις διζήμενος, οὐδ' ἐπὶ πάντας
> Ἀνθρώπους, οὓς ναῦς μία πάντας ἄγοι.

Fabula 50. Petulans iurgium) Iurgia petulans ille nebulo qualia ingerere potuerit disce ex Luciano in Εὐνούχῳ. οὔτε ἄνδρα οὔτε γυναῖκα εἶναι τὸν εὐνοῦχον, ἀλλά τι σύνθετον καὶ μικτὸν καὶ τερατῶδες, ἔξω τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. Iurgiis contumeliisque obnoxios docet esse Eunuchos Xenophon. lib. 7. Cyrapæd. sub finem. Ἄδοξοι ὄντες οἱ εὐνοῦχοι παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις, καὶ διὰ τοῦτο δεσπότου ἐπικούρου δέονται.

Sed quid fortunæ stultæ) Idem ille apud Plaut. Capt. act. 3. Scen. 4.

Pergin' seruum me exprobare esse, id quod vi hostili obtigit.

Id demum est homini) Plutarch. de Audiend. poet. Καθάπερ γὰρ οἱ τὰ ἱμάτια μαστιγοῦντες οὐχ ἅπτονται τοῦ σώματος, οὕτως οἱ δυστυχίας τινὸς ἢ δυσγενείας ὀνειδίζοντες, εἰς τὰ ἐκτὸς ἐκτείνονται κενῶς καὶ ἀνοήτως, τῆς ψυχῆς δ' οὐ θιγγάνουσιν.

Fabula 51. ad splendorem maximum) Ex Rimicio, qui habet *ad pristinum decoris tui statum redisses*, mallem hic legeretur *ad splendorem pristinum.*

Fabula 53 Citò rumpes arcum) Publ. Syr. in Mimis

> *Arcum intensio frangit, animum remissio.*

Ad cogitandum) Seneca lib. 1. declam. prologo. *Omnibus quidem prodest subiectum animum relaxare. Excitatur enim otio vigor, & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur.*

Fabula 54. Facit parentes bonitas) Rimicius longe elegantius & credo vera lectione legit

> *Facit parentes bonitas non natiuitas.*

Fab. 56. Olim quas vellent) Lucian. περὶ θυσιῶν τοιγαροῦν καὶ οἱ ἄνθρωποι συνῳδά, τούτοις καὶ ἀκόλουθα περὶ τὰς θρησκείας

ἐπιτη-

ἐπιτηδεύουσι. καὶ πρῶτον μὲν ὕλας ἀπετέμοντο καὶ ὄρη ἀνέθεσαν, καὶ ὄρνεα καθιέρωσαν, καὶ τὰ φυτὰ ἐπεφήμισαν ἑκάστῳ θεῷ. Arbores vero diis dicatas plures adfert Virgilius Eclog. 7.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho.
Formosæ Veneri myrtus, sua laurea Phœbo.

Fabula 57. Gemmeam caudam) Martialis de Pauone

Miraris quoties gemmatas explicat alas
Et potes hanc sæuo tradere dure coco

Partes sunt vobis) Rimicius legit *Partes omnibus datæ.*

Tibi forma) Seneca Epist. 77. *valet & Leones: formosus est, & pauones.*

NOTÆ IN LIB. IV.

G*Alli cybeles)* Curetes aliis & Corybantes dicti: Egregie verò rem totam describit Babrias in μυθικοῖς quod fragmentum Babriæ debemus Natali Comiti: nullibi quippe quod sciam extat præterquam in ipsius Mythologia. plura eum habuisse eiusdem verisimile est. atque fieret aliquando vt prodiret Babrias. versus autem ii sunt.

Γάλλοις ἀγύρταις εἰς τὸ κοινὸν ἐπράθη
Ὄνος τις οὐκ εὔμοιρος, ἀλλὰ δυσδαίμων
Ὅστις φέρει πτωχοῖσι καὶ πανούργοισι
Πείνης σάκος, δίψης τε καὶ κακῆς τέχνης.
Οὗτοι δὲ κύκλῳ πάντων ἐξ ἔθους κώμην
Περιϊόντες ἔλεγον, τίς γὰρ ἀγροίκων
Οὐκ οἶδεν Ἄττιν λευκὸν ὡς ἐπηρώθη;
Τίς οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ σίτων
Ἁγνῷ φέρων δίδωσι τυμπάνῳ Ῥείης.

Si plura de Gallis istis sacerdotibus scire est animus, adi eundem in Mythologiâ.

Rogati mox à quodam, delicio suo) Vide prauam hominum illorum libidinem.

Fabula 60 Aliquot venit saeculis rete) Miror præteritum huncce à viro doctissimo Rigaltio locum (nam alios qui in Phædrum scripsere videre mihi nondum contigit) cum tamen sensus ex eo elici nullus possit. Legi posse videtur

Venit peritus aliquot retro saeculis

Cui coniecturæ viam præmuniuit Rimicius, qui habuit

Postea venit maior annis & cautus mus.

Fabula 63. Plus esse in vno) Æmilius Probus de Epaminonda *Quamdiu ille præfuerit Reip. caput fuisse totius Græciæ: ex quo intelligi potest vnum hominem pluris, quam ciuitatem fuisse.* Iustinus lib. 4 c. 6. *Ab his mittitur Gylippus, solus, sed in quo instar omnium auxiliorum erat.*

Fabula 63. Oculis venantem viros) Plaut. Milit. Glor. Act. 4. Sc. 1. vers vlt. dixit

——— *Venaturam oculis facere*

Viden' tu illam oculis venaturã facere atq; aucupiũ auribus

Seneca *Lenocinium puellare vocat* declam. 6. p 473. *Muliebrem vestem sumpsit. Capillos in fœmina habitum composuit. oculos puellari lenocinio circumdedit.* Hi Apuleio in Apol *oculi illices* dicuntur, *Quis non disciplinam matris agnouit? cum in puella videret immedicatum os, & purpurissatas genas, & illices oculos.*

Vestem vniones pedissequos) Luxus muliebris instrumenta recensentur non pauca apud Plaut. Aulul. Act. 3. Scen. 5.

Nulla ergo dicat equidem dotem ad te attuli
Maiorem multo quam tibi erat pecunia,
Enim mihi quidẽ æquũ est purpurã atq; aurũ dari.
Ancillas, mulos, muliones, pedissequos
Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.

Fabula 64. Historia quorum) Forte legendum erit

Historia nunc quorum in tabernis pingitur.

Vtinam

Vtinam ne vnquam) Apud Quintil. lib. 5. c. 10. Medea loquitur

Vtinam ne in nemore Pelio vnquam cæsa abies fuisset.

Quod ex principio Medeæ Euripidis petitum est

Μηδ᾽ ἐν νάπαισι Πηλίου πεσεῖν ποτὲ
Τμηθεῖσα πεύκη.

Nec ad professæ mortis audacem) Iuuenal. Sat. 12.

I nunc & ventis animam confide, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut septem si sit latissima tæda.

Contra Seneca Epist. 49. *Erras si in nauigatione tantum existimas minimum esse, quo morte vita deducitur. In omni loco æque tenue interuallum est. Nam vbique se mors tam prope ostendit: vbique tam prope est.*

Prima qua Ponti sinus) Mart. lib. 7. Epig. 18. De fragmento Argus

Fragmentum quod vile putas & inutile lignum
Hæc fuit ignoti prima carina maris.

Lucanus itidem lib. 3. vers. 193.

Inde lacessitum primo mare, cum rudis Argo
Miscuit ignotas temerato littore genteis.

Vide & Propert. lib. 2. ad Cynthiam de Somnio naufragii vbi eodem epitheto *rudis Argo* dicitur. Ouidium pariter 2. Amor. Elog. 9.

Fabula 66. Homo simul ac venit) Curtius lib. 4. c. 19. *Hic (quod in aduersis fieri solet) alius in alium culpam referebat, cum omnes verius de sæuitia maris queri possent.*

Fabula 67. Peras imposuit Iupiter nobis) Persius eò alludit Satyr. 4.

Vt nemo in sese tentat descendere nemo,
Sed præcedenti spectatur mantica tergo

Eodem quoque Catullus in Suffenum. *Sed non videmus manticæ quod in tergo est.* Forte & illud Senecæ lib. 3. de Ira. *Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt.*

Fabula 68. Sæpe quos alueris) Xenophoni Κυροπαιδ. in fine.

in fine. Πολλοὶ δὲ πολλοὺς ηὔξησαν ἤδη καὶ ἰδιώτας καὶ πόλεις, ὑφ' ὧν αὐξηθέντων, τὰ μέγιστα κακὰ ἔπαθον.

Fabula 69. Quia diues arca) Isocrates aperte πλοῦτος κακίας μᾶλλον ἢ καλοκαγαθίας ὑπηρέτης ἐστιν, ἐξουσίαν μὲν τῇ ῥᾳθυμίᾳ παρασκευάζων. videlis Ælian. ποικιλ. ἱστορίας lib. 11. c. 9. vbi ex manuscripto Palatino & Plut. in Apophtheg. leges χρυσοῦς pro χρυσία.

Fabula 70. Cum se ferarum) Hanc & sequentis fabulæ priorem versum coniunxit Rimicius nescio an manuscripto duce. hoc modo *Sine sanguine cibum sumere sanctam & incorruptam fidem iurauit. Posthac dehacre cœpit habere pœnitentiam.* persequiturque fabulam illam de Leone rogante an os fœteret sibi & Simio, quæ extat apud Camerarium. Adeò vt videtur mihi versus ille *Turpi lauare cœpit pœnitentia* nihil ad sequentia pertinere, sed fabulæ huic 70. proprium esse.

Fabula 74. Furfuribus) Sordidus panis Plauto Asin. act. 1. Scen. 2.

Sordido vitam oblectabis pane.

Totam timentes) Vide Mart. Epig. 78. lib. 12.

Fabula 75. Colubram sustulit) Theocrit. εἰδύλλ. ε.

—— ἴδ' ἁ χάρις ἐς τὶ ποθέρπει
Θρέψαι μὲν λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας, ὥστυ φάγωντι.

Isocrates ad Dem. Κακοὺς εὖ ποιῶν, ὅμοια πείσῃ τοῖς τὰς ἀλλοτρίας κύνας σιτίζουσιν. ἐκεῖναί τε γὰρ τοὺς διδόντας ὥσπερ τοὺς τυχόντας ὑλακτοῦσιν οἵ τε κακοὶ, τοὺς ὠφελοῦντας ὥσπερ τοὺς βλάπτοντας.

Fabula 76. Diis est iratis) Horat. lib. 2. Satyr. 3.

—— *immeritusque laborat*
Iratis natus paries diis atque poetis.

Seneca in Ludo. *Videte corpus eius diis iratis natum.* Sic *inimicis diis* Plaut. dixit Milit. Gloriof. act. 2. Sc. 3. Curt. *aduersantibus diis* lib. 6. in oratione Philotæ.

Qui ture superos) Lar deus, apud Plaut in Prolog. Aul. queritur de infrequenti sacrificio Euclionis eiusq; parentis auarissimi. Propert. lib. 3. de Auaritia puellarum

At nunc

At nunc desertis cessant sacraria lucis
Aurum omnes victa nunc pietate colunt.

Ipsum te fraudas cibo) Tales ii *qui cum genius suis belligerant, parcipromi.* vt ait Plaut. Trucul. Act. 1. Scen. 2. Auarissimi hominis εἰκόνα dabit in Aulul. Plautus sub persona Euclionis.

Fabula 79. Formica & Musca) Fabulam hanc illustrabit Lucian. ἐγκωμ. τῆς μυίας.

Simonides idem ille de quo) Historia hæc lucem capiet ex Ciceronis libro 2. de Oratore p. 251. vbi prolixe narratur.

Cuidam) Scopas is est. cuius familiæ meminit Theocrit. Idill. 17.

Vsus portæ motis) Cicero citato iam loco. *In quo multa ornandi causa poetarum more in Castorem scripta & Pollucem.*

Promisit) Plin. Epist. 15. lib. 1. *Heus tu promittis ad cœnam nec venis.*

Et mores vicina flagitabit) Plut. ad Apollon. Μοιρίδιον χρέος εἶναι λέγεται τὸ ζῆν, ὡς ἀποδοθησόμενον, ὃ ἐδανείσαντο ἡμῶν οἱ προπάτορες. dixit φύσεως ἀνάγκας Isocrates in Panegyr. τὰ μὲν σώματα ταῖς τῆς φύσεως ἀνάγκαις ἀπέδοσαν.

Dum vaciue perleges) *Aures vaciuas* dixit Plaut. prolog. Casin. & Trinum.

NOTÆ IN LIB. V.

PLus vetustis nam fauet) Plin. Epist. 16. lib. 1. *An si inter eos quos nunquam vidimus floruisset, non solum libros, verum etiam imagines conquireremus?*

Illam osculantur quæ sunt) Seneca 2. de Ira. *Notissima vox est eius, qui in cultu regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret quomodo rarissimam rem in aula consecutus*

ſecutus eſt, ſcilicet ſenectutem, *Iniurias inquit ferendo & gratias agendo.*

Hic eſt Menander) Mart. lib. 5. Epiſt. 13.

Sed toto legor orbe frequens, & dicitur HIC EST.

Ita Græcis οὗτός ἐστι. Plin. Epiſt. 23. lib. 9. *An ſi Demoſthenes iure lætatus eſt, quod illum anus Attica ita demonſtrauit* οὗτός ἐστι Δημοσθένης, *Ego celebritate nominis mei gaudere non debeo?* Sic Lucian. ἐνυπνίῳ. τῶν ὁρώντων ἕκαστος, τὸν πλησίον κινήσας δείξει σε τῷ δακτύλῳ, οὗτος ἐκεῖνος λέγων.

Fabula 82. Et ſic porcelli vocem) Talis Parmenon de quo Plut. de Aud. Poet. ὥσπερ γὰρ ὑὸς βοὴν, καὶ ψόφον τροχιλίας, καὶ πνευμάτων ῥοῖζον, καὶ θαλάσσης κτύπον ἀκούοντες, ἐνοχλούμεθα, καὶ δυσχεραίνομεν. ἂν δέ τις πιθανῶς ταῦτα μιμῆται, καθάπερ Παρμένων ὗν, καὶ Θεόδωρος τὰς τροχιλίας ἡδόμεθα.

Peruellit aurem vero) Legit V. CL. Gruterus *aure vtraque quem celauerat.*

Fabula 83. Heia inquit commune) Vide Theophraſti charact. περὶ βδελυρίας. Se; Epiſt. 129.

Carbonem vt aiunt) Vide Suidam in Ἄνθρακες θησαυρὸς ἦσαν.

Fabula 84. Nec opinans) Forte *nec opinus*, qua voce ſupra eſt vſus.

More ducto canticum) Legit clariſſimus Gruterus

Tunc chorus ignotum amore ductus canticum.

Superbiens honorem vidit) Idem legit *Superbiens honore diuina domus.*

F I N I S.

NOTÆ IN AVIANI FABVLAS ISAACI NICOLAI NEVELETI.

SI requiris Lector, quis Auianus iste fuerit, sic enim eum omnes tum MSS. codices tum editiones indigetant, quod compertum habeam nihil respondebo. Fuit sanè Auienus quidam, qui plura carmine descripsit. Hunc eundem esse, non ausim adfirmare. Hinc tamen erui posse videtur, quod ille tempore Theodosii vixisse censeatur, hic itidem vixerit. Vt ex præfatione sua ad Theodosium liquet. Si modo supposititia non est; (eam enim neque in Palatinis schedis, neque in prisci æui editionibus reperi) Fabulas præterea Virgilianas scripsisse testis est Seruius. Hic itidem non Virgilianas quidē, sed Æsopicas edidit. Vt vt sit, verisimilius est eum alium esse à veteri illo Auieno. Neque vero multum refert sciamus id an ignoremus. Non indoctum tamen hunc omnino fuisse quisquis is fuerit, indicant hæ fabellæ, in quibus ducem sibi delegit Æsopum. Quid verò in his Auiani notis præstiterimus si scire desyderas: cum Palatino codice manu exarato eas contulimus. Accessere itidem IANI GRVTERI *Doctoris mei (de quo viro melius nihil dicere, quam non satis dicere) opera ex eadem Bibliotheca editiones duæ exsoletæ: quarum altera Vlmensis sine anni adnotatione. altera anno* MCCCCXCIV. *absoluta. sine loci nota cum commentario Anonymi cuiusdam. Ex quarum collatione si quid emaculatius eruere potuimus, huc reiecimus. Sed paucula sunt illa post doctissimi viri Theodori Pulmanni lucubrationes; qui fabulas hasce è tribus manuscriptis emendatas edidit. Non quidem primus vt arbitrabatur, sed cui par fere gloria debetur, tertius. Latebant enim ante illum hæ fabellæ in puluerulentis Bibliothecarum scriniis, saluæ quàm paucissimis, perditæ fere omnibus. Sed ad rem.*

In præ-

In præfatione dubitanti) Deeſt hæc præfatio in iis quos vidi libris.

Falſitas deceat) Videtur potius *doceat.*

Nam quis) Lacunam hic eſſe ſuboleo. neque eſt vnde expleam.

Ab ipſis animus) Senſus loci huius me fugit. an *exanimis* legendum.

Fabula I. *Deflenti paruo*) Fluidius eſt quod editiones ambæ præferunt. *Deflenti puero.*

Puer nimia dat) Offendit vox iſta *nimia*. Neq; auxilium à libris. Editiones ſaltem *nimium* habent.

Hæc ſibi dicta putet) Editiones ambæ ſonorius legunt

Hæc ſibi dicta putet, hac ſe ſciat arte notari.

niſi quod Vlmenſis *putat.* Neque eſt quod impediat cæſura (vt vocant) breuis vſitata aliis, & huic Auiano.

Fabula 2. *Occidit infœlix*) Ea eſt etiam Palatini codicis lectio: vtrum vera facit vt dubitem editio priſca quæ hunc verſum ſic exprimit

Decidit infœlix alitis ab vngue feroci

à qua facit Vlmenſis niſi quod *occidit* legit. An legendum erit.

Decidit infœlix alitis vngue fero

Æſopus ſiquidem, quem ſibi materiæ ducem elegit noſter, non *in ſublimes* mortuam *auras* ait, ſed in ſaxa ab Aquila deiectam colliſamque; cuius hæc ſunt verba: Λαβὼν οὖν ταύτην τοῖς ὄνυξι, καὶ εἰς ὕψος ἀνενεγκὼν, εἶτ᾽ ἀφῆκεν. ἡ δὲ κατὰ πετρῶν πεσοῦσα συνετρίβη. Neque alias potis eſt Aquila corneam Teſtudinis domum effringere; ideo Aquilæ τὰς χερσαίους χελώνας συλλαβόντες, εἶτα ἄνωθεν προσήρραξαν ταῖς πέτραις: καὶ τὸ χελώνιον συντρίψαντες, οὕτω ἐξαίρουσι τὴν σάρκα, καὶ ἐσθίουσι. vt Æl'an. libro περὶ ζώων ἰδιοτ. 7. c. 16. Inde eſt fabula Phædri 37. pɔtita.

Sublimes cum iam moreretur in auras) Vix video quomodo latinè dici poſſit *ſublimes in auras mori.* ɔɔd

cum scirem exigendam minimè à recentioris æui scriptoribus locutionis rationem, locum hunc intactum præteriissem, nisi editiones, oblata lectione à vulgata diuersa remoratæ fuissent. Ambæ enim legunt

Tunc quoq; sublimis cum iam veheretur in astris

Quæ priorem nostram coniecturam fulciunt. Tu iudica Lector.

Fabula 4. Immitis Boreas) Fabulam hanc vt nonnullas alias editio Vlmensis omisit. *Immitis Boreas* hic est proprio Epitheto vocatus ab Auiano, qui Sæuus Catullo Epigr. 23. ad Furium Horrifer Ouidio dicitur vel respexit Auianus ad posteriora fabulæ vbi ait *Protinus impulsus ventis, &c.*

Placidusque) Non displicet Commentatoris explicatio huius loci, dum refert Epithetum hoc solis admodum quo pallium homini decussit, placidè nempe radios emittendo.

Cum magno conseruere Ioue) Editio suspectam huius loci reddit lectionem nam habet *Iurgia cum magno commisere Ioue.* Commisere scilicet iurgia Ioui diiudicanda, vt vult commentator. nec fuit è litigantibus vnus Iupiter, sed iudex & διαλλάκτης. Sed tanti haudquaquam est Auianus, vt velim vel debeam in eo vbique emendando vel enodando tempus consumere.

Quo trahit) Non displicet vt cum editione vetere & V. CL. Pulmanni duobus Codicibus *qua trahit* legatur.

Tunc victor) Post versus hosce duos postremos prisca editio amplius hos addit

Dura minando tu caueas armaueris hostem
Arte, valet vinci qui leuiore modo,

Sed quia hos sola habebat, reponere non ausus sum.

Fabula 5. Cum remanere malu) Pulmanniani Codices duo & vtraque editio *remeare.* Nec male eam sequeris lectionem.

Pauidos per sua rura boues) Præferenda erit, si iudicium me-

um meum ſequeris, lectio hæc vulgata

Turbabat pauidas per ſua luſtra feras

quæ eſt à MS. Palatino & duobus Pulmannianis, quibus ſubſidiariæ ſuccedunt æui priſci editiones ambæ.

Mutato murmure fallis) Viſum eſt vnius Palatini lectionem huc adtexere, quæ cum vulgata auſit de bonitate certare

Forſitan ignotos imitato murmure fallis.

At mihi ceu quondam) Vide num æque bene Palatinæ membranæ & Pulm. editioneſque *At mihi qui quondam.*

Fabula 6. Olimque immerſa profundo) Nondum vidi quid hic *olim* ſignificet. mirorque tum in editionibus, tum manuſcriptis diſcrepantiam nullam eſſe. Videbatur aliquando inuerſis literis legendum *limoque.* quod ſi tibi placet, mihi etiam nunc placet.

Fabula 7. Faucibus, & nexis) Varietas eſt in his vocibus. Palat. Codex & Pulm. duo *innexis.* editio Vlmenſis *innixis.*

Munera pro meritis ſi cupis) Mallem

Infœlix qua tanta rapit dementia ſenſum?
Munera pro meritis ſic cupis iſta dari?

Cæterum, non abſurdum ab hac fabula elicit ἐπιμύθιον commentator. *Non de quolibet munere dato gaudeamus, ſed potius conſyderemus propter quem finẽ datum ſit.* Et hoc eſt quod Anonymus fabulator 23. fabula monuit

Si tibi quid detur cur detur reſpice. ſi des
Cui des ipſe nota:

Fabula 8. Fertur pecus iſſe per auras) Volantem fingis Camelum Auiane? Quidni cum & *loqui arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres fecerimus?* At haud ita durum videtur quod eſt ab editionibus.

Corporis immenſi fertur pecus iſſe per arua.

Et magnis precibus) Mallem quod libri Pulman. duo & Palatinæ ſchedæ cum editionibus volunt.

Et magnum precibus sollicitasse Iouem.

Obiectum cunctis) Editio vtraque *abiectum*. Nec scio num vulgato melius. Si id mauis *abiectum* hic erit contemptum, neque bis idem dicit Auianus.

Viuo memor merito) Addunt ἐπιμυθίῳ vice editiones versus binos, qui fabulam 25. claudunt vnde & pluribus aliis locis vbi idem contigit, coniicere licet Auianum eamdem adfabulationem duabus inseruire fabulis voluisse. aut à librariis, qui carere adfabulatione hanc fabulam arbitrabantur, euulsos à sua sede hos versus hucque insertos fuisse quamuis & hic quadrent optime.

Fabula 9. Conuenit) Vix placet hæc lectio: nec magis multo quod editiones *prauenit*.

Tunc olidum credens) De Vrso cadauer non vorante, vide quid in notis ad fabulam græcam 168. dixi.

Maxima iussit) Communis editionum lectio *maxime iussit*. quæ quomodo huic loco quadrent non video, nisi εἰρωνικῶς fugaciorem iusto socium *maximum* vocet. Palatinus codex *maxime iussum*. An erit *maxima iussa*.

Fabula 10. Nitido vertice) Si quid MSS. & editionum numero tribues, leges hic *nudo vertice*,

Fabula 11. Iurabat solitam) An erit legendum *sociam*.

Namque fides) Vide num editio Vlmensis melius

Nam breuis est illi cum meliore fides.

Fabula 12. Non me ridenti) In Lugdunensi editione recentissima quatuor versus non habentur postremi. In Palatino codice duo vltimi.

Sint tibi vota tua) Concinnius exoleta editio legit. *sint tua vota tibi*.

Fabula 13. quæreret antra viis) Visa mihi est Palatini codicis scriptura haud aspernanda

Tutaque desertis quæreret antra iugis.

Quia

Qui gregis esse solet) Sonorius est quod Pulm. liber & Vlmensis editio *qui solet esse gregis.*

Post vbi summissa) Malo quod codex Palat. & Pulm. *Ast vbi summissa.*

Nam timor expulsum) Danda sunt sæculo plurima. neque ad veteris locutionis trutinam expendenda posterioris æui scripta. Hic enim quomodo Latine dici queat *iurgia ferre* pro inferre, quomodo hic sumendum haud satis intelligo. Eget præterea explicatione hic locus. de qua nihil addam tantum de sinceritate lectionis dubitare me fatebor.

Consequiturque) Malo quod Palatinus liber *insequiturque.*

Nam si discedat) Babriæ est hic locus

> Εἰ σὲ με μὴ λέοντος ἐπτόει φόβος,
> Ἔγνως ὅσον ταῦρος τί καὶ τράγος δεινός.

Fabula 15. Continuisse) Palatin. & Edd. vno ore *continuasse.*

Florida terga) Vide num tolerare possit illud Palat. *sordida terga.*

Fabula 17. Transegit vulnera) Pulman. codices 4. cum Edd.

> *Et simul emisso transiecit viscera ferro.*

Dic quis ille foret) Haud satis integer locus. editio Vlmensis *Dicque quis.* Altera editio *ede quis ille foret.* Non improbo doctissimi Pulmanni coniecturam dum legit. *Quis dic ille foret.* Aio tamen lectionem esse si non genuinam certe genuinæ proximam quam è Pal. codice hausi. Illa est

> *Dum rogat vnde foret qui talia vulnera ferret.*

Illa gemens fractoque loqui) Editio Vlmensis *Illa gemens que loquens* An melius

> *Illa gemens fractoque loquens vix murmure, cœpit,*
> *(Nam solitas voces ira dolorque rapit.)*

Sed melius doctissimus Pulmannus *Illa gemit fractoque.*

Bruta licet soleant) Amplius editiones ambæ

More volant iaculi clandestina verba nocentis,
Nec præscire palam læderis vnde, potes.

Omnibus est illis) Vide an melius Palatinæ membranæ

Plus tamen est illis iure timendus homo.

Fabula 18. *Tantorum)* Operarum error hic videtur. Liber enim Pal. & editiones *Taurorum.*

Tauros disiunxit) Forte melius cum Palat. *animos.*

Fabula 19. *Quam velles spinas)* Palat. codex & editio Vlmensis præferunt *Quam malles spinas.*

Nemo sua carnis) Versus hos postremos omisit Palat. liber & editio altera pro quibus hos habent

Cum pulcher fueris deformem spernere noli.
Turpia namque vigent, sæpe decora cadunt.

Distichon vtrumque agnoscit Vlmensis. Cæterum Palat. habet *fortia sæpe cadunt.*

Fabula 20. *Corpore damna)* Tolerari potest quod vetus editio legit *lucra.*

Vota diurna) Palatinus liber & editiones *vota futura sequi.*

Fabula 21. *Rusticus & auis)* Ea est fabula vulgatissima ex Gellio lib. 2 c. 29.

Nunc ait o miseri) Editio altera (nam Vlmensis hanc fabulam non habet) distichon hoc addit

Exemplo simili, vitare pericula debes
Instans quando malum videris esse tibi.

Fabula 22. *Qui dum prouentis)* Non coniuncta hæc prioribus legit editio Vlmensis.

Qui de prouentis aliorum gaudet iniquis
Lætior, infœlix in sua damna ruit.

Palat. Codex *Qua* legit.

Fabula 24. *Tunc hominem adspiceres)* Editio amplius hæc addit.

Nec picta tabula, nec testi credito per se
Nam pelleus eris si male credideris

quæ mihi meræ sunt tenebræ, & monachi recentioris commentum videntur.

Fabula 26. Suspectam rabidus) Contra MSS. tum editiones omnes mutat doctissimus Pulmannus, *suspectam* in *suspensam.*

Non citius blandis cuiusquam) Palatinus liber

Non tutum est verbis cuiusquam credere blandis

Editiones ambæ

Non citius blandis fallacis credito verbis,
Sed si sint fidi, respice quid moneant.

Fabula 27. Continuasset) Libri MSS. & Edd. *continuisset* hic legunt.

Immersis adcrescens) Ea est Lybicorum coruorum solertia vt ait Ælian. lib. 2. c. 48. περὶ ζώων. & Plutarchus in libello πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα.

Viribus hac docuit) Vetus est Titinnii dictum

Sapientia gubernator nauem torquet non valentia.

Fabula 28. Continuo euersam) Nequaquam malè editiones *versam.*

Cum ratione nocens) His insuper addunt editiones priscæ sequentes versus

Tauro sunt similes ad bona quique rebelles
Quos nec verba regunt, verbera nec reprimunt
Vix castigatur, cui semita recta negatur,
Quod mala mens didicit, perdere non poterit.

Quos vix Auiani esse credo. Redolent enim rythmicos recentiorum monachorum versus.

Fabula 29. Hæsit in aduersa membrorum) Sensum huic loco esse potest non nego. Præfero tamen alteram Palatini codicis & Editionis Vlmensis lectionem

Hæsit in aduersa nimborum mole viator.

Altera editio *membrorum* quidem habet, sed Scholiastes *nimbrorum* legit dum explicat *pruinarum.*

Algenti rursus ab ore tulit) Editio Vlmensis altera, cum Pulmann. Codd. 2. *sufflat.* an erit

——— *algentem rursus ab ore tulit.*

Testam feruentem attingere non sustinens labiis, flatu algentem reddidit.

Duplici monstro) Nouo significatu *monstrum* pro miraculo dixit.

Fabula 30. *Impatiens fertur quod*) Vide an bene Palatinæ membranæ cum Pulman. 2. & Edit.

Impatiens fertur cor rapuisse cocus.

Fabula 31. *Quem petat ille*) Malo quod Pal. & Pulm. codd. cum editionibus *quem petat, esse videt.*

Iusto sermone) Qui *iusto*? an melius edd. *tali.*

Quæ sit fiducia monstris) Noua itidem vocis vsurpatio vereor tamen vt vera Pulm. enim 2. Codices & editio vtraque, *quæ sit fiducia membris.* Monstra quidem Iustinus Elephantos vocauit lib. 18. c. 2.

Victoresq; iam noua Macedonum monstra repente vicerunt de Pyrrhi inusitatis adhuc æuo illo apud Romanos Elephantis loquens. Sed an licebit quoque Auiano è musculo facere Elephantum.

Fabula 32. *dispositis*) Palat. & Pulm. duo MSS. depositis. Vide an editio ineptè compositis.

Tunc quoq;) Recentissima Lugdunensis editio habet

Tunc quoq; congressum maioraque viribus ausum
Fas superos animis conciliare tuis.

haudquaquam ineptè.

Disce tamen) Fabula græca Ναυάγοι eiusdem cum hac sententiæ est: ad quam vide quæ dixi.

Fabula 34. *Passus transire*) Palat. *transiisse.*

Solibus obreptos) Palatin. & Pulm. duo MSS. cum edit. *Solibus ereptos.*

Aruaque sub gelido) Melius Palatin. & editio *Aruaque sub rigido.*

Fabula 25. *Fama est quod geminum*) Vide notas ad fabulam græcam Πίθηκος vbi plura.

Sponte relinquit onus) *Remisit* habet Palat. & editio Vlmensis à quibus sunt Pulm. duo qui *remittit* habent.

Alter ab hirsuto) Noua lectione editio Lugdunensis

Hirsutis alter innectens brachia collis.

Admotum cultro) Huius loci variantes lectiones adferre

ferre operæ pretium non est. locum hunc distinctione posse arbitror & mutatione vocis.

Fabula 38. Te quoque teste valent) Malo, quod Palat. & Pulm. editioque *te quoque teste queant.*

Mercabitur auro) Palat. *emptor.*

Fabula 39. Ille resultantem) Editio exoleta *Ille reluctantem.*

Sauior hoc alios) Editio eadem (nam Vlmensis hanc fabulam omisit) addit distichon hoc

Sæpe malum postquam fecit quod quisque piauit
Immunis causati criminis esse cupit

quod vix Auiani fuerit.

Fabula 40. Inter consimiles ibat) Vix est vt respuam Palat. lectionem

Inter consimiles respuit ire feras.

Fabula 41 Nunc me docta) Editio Vlmensis *Nam me.*

Fabula 42. Adstitit) Melius & editiones & Palatin. *constitit.*

Impius hunc) Editiones ambæ cum Palat. & Pulm. codice *impiger* Quid si

Imminet huic raptor, mediamque secutus in vrbem:

Immerita pecudum) Palatinus

Immitem propera morte cruentat humum.

Quam rabidi fauces) Satius ait Pulmannus

Quam rabido fauces exsatiare Lupo.

Lectionem illam reperi in editione Vlmensi & altera veteri nisi quod *exsaturare* habent.

FINIS.

NOTÆ

NOTÆ IN ANONYMI FABVLAS ISAACI NICOLAI NEVELETI.

IN *Prologo. Impluerore)* Anonymus hic noster, vt cæteri recentiores scriptores, nomina fingit noua, vel ficta iam & aliis vsitata in diuersum trahit significatum. Quorum exempla omnium apud Latinos si requiras frustra eris. Prioris generis vox est hæc *implue.* quæ haut temere alibi occurrat. In Onomastico saltem vetere legitur *Impluo* ἐμβρέχω. MS. Palatinus hic *imprime* habet.

Fabula 1. *Natique decoris)* Palatini illud maluimus quam quod editio Vlmensis *mirique.* aut quod altera *nitidique.*

Hac in sorde iaces) Sic editiones ambæ. Palatinus Codex *manes.* Huius nostri curiosa sedulitas in εὐφωνίᾳ metrica facit vt dubitem an ita scripserit. Mallem

Hac in sorde iaces nil mihi messis habens.

Quem limus sepelit) Sic refiximus ex Palatino libro. contra editiones ambas, quæ *fimus* præferunt, renuente versu.

Nec mihi tu prodes) Simiam Phædri hunc nostrum qui dixerit, haut quaquam errauerit. Ita enim est. Quascumque fere fabulas vna cum Phædro describit, Phædrum in iis sequitur. & nonnumquam eius verba seruat. Phædrus fabula 51. quod dixit

Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.

Id noster sic protulit

——— *nec tibi prosum*

Nec mihi tu prodes.

Sed integram confer fabulam, plura enim imitatus est.

Nil sapit

Nil sapit iste cibus) Codicem hic sequutus sum Palatinum. editiones siquidem *ista seges* legebant quod & tolerari potest.

Fabula 2. *Fluenti*) Ex æquo & bono sic reposuimus inter lectionum varietatem.

Limite non æquo) Sic Palat. Codex editionesque haud male tamen MS. Victorianæ Bibliothecæ Parisiensis *Limite non vno*. vt monuit vir doctissimus Rigaltius in Phædrum: Edidit enim ex eo libro fabulas quinque huius nostri.

Riuique decorem) Melius idem liber *Riuoque*.

Sic tonat) Sic editiones legunt. quos si sequi est animus, distinguendus erit hic locus

Agnus adhuc, tanto non vixi tempore: prædo
Sic tonat.

At melius Palatinæ schedæ *Cui Lupus, an loqueris* quomodo fuerat edendum.

Hi regnant qualibet vrbe Lupi) Debetur hæc insignis gnome Palatino libro, editionique Vlmensi. Altera enim *in parte* habet vnde non longe lectio Victorianæ MS. *qualibet arte* Sed quanto melius nostri libri?

Fabula 3. *Mens dissona verbis*) An melius Palatinus *mens dissona lingua*? mihi sic videtur.

Ecce natant) Non displicet Vlmensis Edit. lectio *Ambo natant*.

Naufragat ipsa fides) Malo quod eadem editio *naufragat ipsa fidem*. ea cum distinctione

Mergitur vt secum murem demergat: amico
Naufragium faciens, naufragat ipsa fidem.

Fabula 5. *Non sua si quis amat*) An mauis quod Palatin. *auet*?

Fabula 6. *Dat maior tertia iura labor*) MS. Victor. Biblioth. *vota labor*.

Et pars quarta meum) Palatinus habet

Et pars quarta nisi mea sit, rumpemus amorem.

Publica solus habet) Varro apud Nonium

Natura

Natura humanis omnia sunt paria.
Qui potè plus, vrget, pisceis vt sæpe minutos
Magnu comest, vt aueis enecat accipiter.

Fabula 7. Tanta caloris hyems) Ea est omnium editionum & MS. lectio V. CL. Rigaltius locum hunc vt corruptum asterisco notauit in Notis ad Phædrum, Sed de lectionis veritate non est quod dubitemus inter generalem illum Librorum consensum dubito. Nouitate vero locutionis non est quod offendamur, cum plura huiuscemodi apud hunc occurrant. Caloris hyemem itaque pro intensissimo calore dixit.

Hic prohibet sermo) MS. Victorian. Bibliothecæ sequentem versum sic effert.

His malè qui faciunt, vel mala facta parant.

quod prætulerim. Nec tamen adeò πρὸς διόνυσον est hoc ἐπιμύθιον. Magis quod Commentator, *Fabula docet nos, quod melius est habere principem vnum quàm plures.*

Fabula 8. Medicam multa daturus opem) Leue est quod monituri sumus in editionibus legi *medicum.*

Nil prodest prodesse malis) Imo obest profuisse. Bene enim Phædrus fabula 75.

Qui fert malis auxilium post tempus dolet.

Fabula 9. De partu querulam) Hanc fabulam illiusq; exemplum dabit Iustin. lib. 43. c. 7. & 8.

Huic tamen à partu) Forte melius *Huic tandem.*

Sua iura) Editio altera *tecta.*

Fabula 10. Ver redit) Sunt hi duo versus ab editionibus. MS. Palatinus non agnoscit. Nec sane multum est quod hic sint.

Fabula 12. Murem mus suscipit, ædem) Lectio hæc est Palatini codicis. Nam editio Vlmensis legit *Suscipit ade, comedat vt secum.* Altera vero *comedit ad mensam.*

Ostia latrant) Editio altera.

Ecce sera clauis immurmurat, ostia laxat.

quod stylo auctoris aptius, si genium eius bene noui.

Hic

Hic tenebras) Malo quot Palat. *latebras.*

Parcit fortuna timenti) Melius erit fortè *parcit fortuna timori.*

Rodere malo fabam) Bene Græcus ille

Ῥαφεῖν φακλῶ ἔσθ' ἡδὺ μὴ δεδοικότα,
Ἢ μαλακῶς καθεύδειν ἄθλιον δεδοικότα.

Pax opulenta) Locus hic constituitur in Palat. codice hoc modo

Pauperiem ditet pax epulenta mihi.

Dat precium) Malo legatur *Det pretium.*

Et quia summa timet) Codex Palatinus lectionem hanc suppeditauit. Vlmensis editio

Et qui summa timent, tutius ima petunt

altera vero

Et qui summa timet tutius ima petet.

Fabula 13 Arboreum zonat) Noua vox à zona deducta. *Zonat* est circumdat.

Consurgit copia fumi) Palatinus liber *coniurat copia fumi.*

Hunc timet, & vulpem) Ea est lectio editionis alterius: Vlmensis enim *Hanc timet vt vulpem* ineptè nec multo melius Palatinus *Huic tamen & vulpem.*

Non sit qui studeat) Sic ex Palat. libro locum hunc constituimus. Cum in editione Vlmensi esset

Non igitur studeat quis maior

Et in altera

Non sit qui studeat maior obesse.

Fabula 14 Nam si celsa cadit) Vide quæ ad Auianum diximus de eadem fabula.

Saxea frangit humus) Malo *franget.*

Subuersus) Malo quod Palat. codex *submersus* vt in metaphora persistat.

Fabula 15. Corue decore decens) Vlmensis *Corue decore nites.*

Cygnum candore parentas) Ea est lectio Palatin. membranarum & editionis Vlm. Nam alia deprauatè

habet *pracellis*. Noua ſane vox neque temere obuia quę à parentibus videtur deducta, vel potius à pari. *Parentas* igitur *cygnum candore* eſt *par es cygno candore.*

Pictaque) Editio altera *ſic teque* vnde coniicies *fictaq;* alterum tamen mihi magis ſapit.

Fabula 17. Nunc pede calcat herum) Sic editio vtraque. Magis tamen ſequendam putarim Palatini codicis lectionem *Nunc pede placat herum & teſtatus.*

Vita nitor) Vlmenſis *vita vigor.* in oneribus ferendis ſcilicet.

Ludam ludo places) Sic editiones niſi quod altera *placens* habet; Palat. deprauatè *Caudam lude places* vlterius inquirendum cenſeo.

Humeroſque priorum) Sic editiones Palatin. liber

Humuſque priorum preſſus mole pedum

Hinc an aptius erit

Humeriſque priorum preſſit mole pedum.

Fabula 18. Subiacet ira preci) Sic optimè editiones. Continuatio quippe metaphoræ à trutina deſumptæ. Palatinus non ita aptè. *Supplicat ira preci.*

Si vincere laus eſt) Legi melius poteſt *Sic vincere, laus hæc.*

Et decus hoc minimo) Præclarè Crates Alexandro apud Curtium lib. 9. c. 30. *Quocumque iuſſeris ibimus; obſcura pericula, & ignobiles pugnas nobis depoſcimus. Temet ipſum ad ea ſerua, quæ magnitudinem tuam capiunt. Cito gloria obſoleſcit in ſordidis hoſtibus.*

Spondet opem ſolus) Diſtinctione laborat hic locus. diſtingue ergo

Spondet opem; ſolus ſit mora parua dies.

Ne deſpice parua potentem) Sic editiones at Palatinus liber. *Ne deſpice parua, potenti* quod non ita accommodè.

Fabula 20. Noſtris mala damna) Præpono Pal. illud *mala vincla minatur.*

Fabula 21. Similitudo ad ſequentem) Ea MS. Palatin.

ἐπιγραφή. Initium est autem hic libri secundi in editione Vlmensi, quæ distinctio cum neq; in MS. Palat. codem, neq; in editione alia compareat à Rimicio quodam, qui has fabulas soluta oratione Latina & Germanica vertit, fictam arbitror. Verisimile quippe non est libellum huncce tam exiguum, in τμήματα duo partitum ab auctore fuisse. Cæterum hinc videas, quod superius monui, Simiam Phædri esse hunc μυθοποιόν. Petita enim hæc omnia sunt ex illius procemio in fabulam 2.

Fabula 22. Pie Iupiter audi) Id melius visum est, quam quod Palat. *pie Iupiter, omnes.*

Nimio vilescit in vsu) Palat. codex *abusu.*

Fabula 23. Pulsurum bella) Concinnius forte Palat. *Pulsura*

Fabula 25. Et pietas hæc erit) Ita constituimus hunc locum ex Palatino. Nam editiones *Hæc pietas non erit apta mihi.*

Fabula 26. Hinc homines) Verior videtur Palat. Cod. lectio *Vicini trepidant.*

Magna minantur) Sic Palat. Edit. non ita bene *magna loquuntur.*

Fabula 28. Elumbem) Malo quod Palat. liber *Delusum* ratio in promptu est.

Nescit iniquus homo) Aptius esset *Herus.*

Fabula 29. Se metui & ranas) Ita Palat. habuit.

Morituros viuere vidi) Ouidianum est illud

Spes bona dat vires, animum quoq; spes bona firmat
Viuere spe vidi, qui moriturus erat.

Fabula 30. voce Capellam) Editiones ambæ ineptè hunc locum constituunt. Nam Vlmensis *voce rapina*, altera *voce caprina*. Debetur emendatio Palat. libro.

Cum bene caprizes) Editio Vlmensis *cum male caprizes.*

Fabula 31 Humanam petuit) Sueton. in Tiberio c. 72. Ælian. ποικιλ. ἱστορίας 13 c. 46. enutritos dracones testantur.

Remitto) Palat. haud malè *remittam.*

Fabula 32. Paret ista timore) Inuerte vocum ordinem iubente versu & lege.

Sic iubet esse Lupus paret timor ista iubenti.

Cum timor in pacto) Sic locum istum ex Palat. restituimus, cum in editione Vlmensi esset *cum timor in portu.* in altera verò *cum timor in promptu*

Fabula 33. Muscam vult lædere caluus) Sic consone magis quam editiones habuere *caluus vult lædere muscam.*

Illa redit) Acutius quid voluere substituere qui editionibus præfuere, cum non obseruata metrica lege, *ridet* reposuere. Ita enim in editione vtraq; legitur.

Surda tibi) Editio Vlmensis *tarda.*

Fabula 34. Vulpe vocante) Maluimus id quam quod editio Vlmensis *fauente*, aut altera quamuis non ita malè *iocante.*

Bibit illa dolorem) In Palat. est *bibit illa liquorem.*

Fabula 36. Picti pauonis amictu) Sic *Picti pauones* Ouidio dicuntur Metam. 2.

Dii maris annuerant, habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pauonibus aera pictis.

Minuique pudorem, sic putat) Sic emendauimus ex Palatino libro Editio vtraque *minimique* & *sustulit.*

Corripit ore comes) Id & à Palatino est pro quo Vlm. *corrigit*; altera *vulnerat*

Hæc leuis est) Ita inter lectionum varietatē locum hunc constituimus.

Fabula 38. Vulnere siue minis) Editio Vlmensis *Vulnere, voce minis.*

Fabula 39. De Leone & spina) Ea est de Androdo seruo notissima historia ex Gellio lib. 5. c.14. Æliano lib. 7. c.48. Hist. Animal qui seruum illum Androclem vocat de leonibus auxiliom humanum implorantibus Plin. lib. 9. c. 16. De Leænæ gratitudine pæne simili vide Seuerum Sulpitium dialog. 1. de vita Martini.

Maior

Maior idem loquitur) Haud quaquam male editionum altera *Vulnus idem loquitur.* quomodo edi debuerat.

Et multas miscet arena feras) Editio multis *additur ipse feris.* An melius *& multis miscet arena feris.*

Ecce necis potum) Ita elegantius longe ex Palat. refixi. quum editio Vlmens. *pœnam.* vel altera *caussam* haberet.

Fabula 40. Vulpes eam) Reponi debuit lectio Palat. MS. *Vulpes; caussa vocat.*

Fabula 41. mihi redde laboris præmia) Malo quod Palat. 4. *mihi redde labores: præmia.*

Fabula 44. Priuatur phaleris fræno) Ex Palatin. sic emendauimus editiones habebant *Priuatur phaleris fræno priuatus honesto* nisi velis legi *priuatur.*

Cur fugit iste decor) Palatinus liber

Cur est hæc macies cui fuit ille nitor.

Fabula 46. Modus iste canorus) Sequutus sum Palat. Codicis lectionem cui proximè editio accedebat *modus iste canoris* longius aberat Vlm. *modus iste canendi* quod non malum est.

Semper mala vita meretur) Sic ex Palat. refiximus. Editio Vlmensis

Fine malo claudi mala vita meretur iniquus

Altera vero

Fine malo claudi mala vita meretur iniqui.

Fabula 47. Et necat ense lupum) A Palatino codice est hæc emendatio. Editionum altera legit *hic necat:* altera *hic iacet.* Neutra bene.

Cur nocui nocet) Vlmensis editio

Cur nocui nocet ecce mihi nocuisse nocuum est

An erit.

Cui nocui, nocet ecce mihi: nocuisse nociuum est.

Fabula 48. Crura neci rapiunt) Legebatur in editione Vlmensi *Crure neci raptum.* in altera *Carcere sic raptum.* Id quod vides adiuuante Palatino libro refixi.

Fabula 49. *Dum vir & vxor)* Lepidiſſima hæc fabula ex Petronio deſumpta eſt.

Vir metuens furem) Vlm. Edit.

Vir metuent furem ſed non ſuſpendia furis.

Fructumque ligurit) A Palatino eſt lectio hæc, elegantior longè vulgatis *miniſtrat* vel *carpit.*

Hinc redit ad furem) Editio vtraque *Hic redit.*

Extorrem me iubet eſſe timor) Vide ſcribarum in deprauandis libris audaciam. Quid *extorrem* eſſet ignorantes repoſuerunt *excordem* ſenſu quidem bono, ſed non vero.

Quæ ſpem tibi ſuſcitet) Palatini Codicis ea eſt emendatio Editio Vlmenſis legebat *quæ te bene liberet.* altera non ita longè *quæ mihi ſuſcitat.*

Subligat ipſa viro) Editio Vlmenſis hos inſuper verſus addit

Miles ait noſtræ noſtris ſucceſſibus artes
Non proſunt; aliud conſule conſilium.
Crinibus orbata furis frons nuda nitebat.
Iſtiuſque viri frons manet hirta comis
Pallentis caput illa capit; frontemque ſigillans
Caluitie, manibus vellit & ore pilos.

Et poſt duos modo ſequentes alios inſuper hos addit

Iam veteri nouus extincto præfertur amori
Viua nihil fidei mens amoris habet.

Quos omnes, etſi a ſtilo noſtri fabulatoris haut abhorreant, reieci tamen huc, quod neque in Palat. MS. neque in editione altera extaret.

Fabula 50. *Vitat auis taxum)* Venenata hæc arbor, de qua vide Plinium.

Fabula 51. *Fabula nota ſeni)* Sic Palatin. editio Vlm. *nota ſequi.* altera *nata ſequi.*

Fabula 52. *Ferrea mordaci)* Palat. *parcenti* editio altera *precenti* An erit *præſenti* præſentaneo. aut bene Palatinus *parcenti.*

Fabula 53. *Fœdere tentat Ouis)* Ex Palat. id eſt. Editio

enim

enim Vlmensis *fallere*, altera *lædere* Neutra male. Sed acutius Palatinus.

Fabula 54. *Lucus ait pereo*) Est in codice Palatino

Lucus ait mihimet tanti sum causa pericli.

Quem iuuat hoste perit) Ea est editionis alterius & Palatini Cod. lectio.

Fabula 55. *Copia pulchra patet*) Editio prima *sancta* altera *facta*.

Libertas prædulce bonum) Euripides

Τὸ λεύθερον γὰρ ὄνομα παντὸς ἄξιον.

Qua nisi conditur) Sic ex Palatino reposuimus. Editionum altera habet *condita*, altera *condatur*.

Fabula 56. *incusant auidi pes & manus*) Notus est Menenei Agrippæ hic Apologus ex Liuio & aliis.

Perdita non reparans) Editionum altera *Perdita vis refugit*.

Fabula 58. *Nam cum bella facit*) Ea est Palat. Codicis lectio. Editio Vlmensis.

Nam tibi bella facit & tympana pellis Aselli
Hinc lassatur, & hinc pulsat tonante manu.

Fabula 59. *Æquora*) Ex Palatino id deprompsimus. Editio Vlmensis *Equo* habet: altera *deuia*.

Condite me latebris) Palat. *credite* quod malo.

Vt iuuet vmbra) Hoc à Palatino est Vlmens. editio *nam iuuat*. altera *dum iubet*. mallem *dum iuuet vmbra fugam*. id est *nox*.

Res sua sollicitat) Contra editiones id scripsimus ex Palat. quæ consensu vno *res tua te reperit*.

Fulgurat) Palat. *Perstrepit*.

Fabula 60. *Pectore*) Sic Palat. nam editio (vnica enim fabulam hanc habet) *corpore*.

Alter ait) Ex Palatino suppletus est hic versus.

Regis concilium) Acutiam leui errore loci huius editio sustulerat *Regis consilium consiliumque*, legens.

Vt perimas) Editio vitiose *reprimas* legebat.

Fabula 61. Torret honore) Erat in editione *mordet amore senis.*

Fingit de ciue querelas) Est in Palatino cod. *susurros* quod non respuo.

Et suo de censu) Id melius est quam quod edit

Est sua de censu gaza recisa tuo.

Plus debilis ætas) Erat in editione *fragilis.*

Nisus hebes) Maluimus id, quàm quod editio visus obes.

Amicorum populo) Iustin. lib. 9. c. 1. eodem sensu dixit, *Ostenti prorsus genus, vbi in tanto populo non sociari, verum etiam sileri parricidium potuit.* De Artaxerxis quinquaginta filiis loquens. Eodem etiam sensu Cassiodorus dixit *Populus statuarũ.* de statuis vrbis Romæ loquens. quamuis remotius magis. Fabulator etiam hic idem eodem modo dixit *turbam pedum,*

Nox vna duellum) Editio leui errato *vox* est mihi.

Si turpes) Editio habuit *turpis.*

Strua colit) Palat. libris arua *nouat.*

O noua simplicitas) Editio haud ita aptè *O bona.*

Rex ait incisum) A Palatino est hæc lectio Editio enim haud ita argutè

Rex ait inceptum soluas præfecte duellum.

Furentem) Editio malè *ferentem.* Atque hæc hactenus. quæ plura forte an erunt, quam ipse desideres. Plura sanè quàm statueram, sed reddenda mihi incubuit ratio eorum quæ ex Palatino mutaui vel editionibus. Quod dum facio in eam quam cernis molem excreuere hæ nugæ.

FINIS.